DE TERTIA PISANI STUDII PEREGRINATIONE;

De Quibusdam Indultis; de Theatro Scholarum; Clarissimisque Professoribus &c. ab Anno 1485.

USQUE AD

PISANI GUBERNII

Mutationem Anno 1494.

SUB

CAROLO VIII.

GALLIARUM REGE.



Commentarius ex Ordine Decimus

STEPHANI M. FABBRUCCI

Pisani Legum Interpretis, & Academici Pro-Rectoris An. 1751. = 52.

Opusc. Tom. XLVI.

Potuit quidem adversum *Academiæ Pisanæ* Fatum eandem, in suis præclare Constitutis; in celeberrimis Professoribus, præstantissimisque Alumnis, inter ceteras cultioris Europæ, grãdescentem, multifariam deprimere; sed non ita, ut instar fabulosi illius Antæi, apud Lucanum (*a*), humi prostrata, non iterum assurgeret, & quodammodo reviviscеret. Has ego calamitates, cum nonnullis identidem commodis admixtas, dum partim in hac, partim in sequenti, prosequor enumerare, Benevolum Lectorem quæso obtestorque, ut omnia æqui bonique consulat.

Florentiæ, Florentini simul Pisanique Gymnasii habenas, per hæc Tempora, moderabantur iidem Studiorum Præsides, de quibus superius honorifica mentio habita fuit; non quod ea foret ejus Magistratus conditio; erat enim, ex Instituto Majorum, Annuus (*b*); Sed quod in

 Offi-

(a) *Lib.* 4. *Pharsal.*

(b) *Vid. Opusc. V. cui Tit. Collect. Præcip. Monument. pag.* 8.

Officio confirmari, ob inculpatæ Adminiſtrationis ſpecimen præbitum, e publica re fore, Centumvirale Conſilium exiſtimaverit.

Unum, nondum alibi commemoratum, recenſere datur in hac *Decima Rerum Academicarum Serie*, nempe, ſub An. 1491., ad ſupplendas vices *Petri Guicciardini*, Conſulari Maris Præpoſitura decorati, *Antonium Jacobi Orſini de Lanfredinis*, cujus in ſcribendo elegantiam, dum Ipſi *de Vera Fide* conſcriptum Volumen ſuum exhibet, commendat *Ficinius*. (*a*)

Quorum Mandatis exequendis, ab An. 1487., quo, Menſe Februario, obiit *Pulcius Proviſor Ordinarius*, utrique Academiæ præfuit *Aloyſius Franciſci Venturi*, vir utique Perſonalibus, & hereditariis promeritis admodum illuſtris, atque ex eo præcipue commemorandus, quod, eo poſtmodum Vexillifero, pro tuenda Italia, ingens adverſus *Franciſcum Galliæ Regem*, ictum fuit fœdus. (*b*)

Dum vero prælaudati ſpectatiſſimi Viri, An. 1485. & ſequentibus, omni ſedulitate ac diligentia publico bono.

(a) *Lib. 6. Epiſtol.*
(b) *Scip. Ammir. Lib. 29. in fin.*

bono operabantur; Pisanamque Ecclesiam adhuc administraret *Raphael Riarius* (*a*), extemplo contigit ut denuo Academici *Pisis* abire cogerentur. Metus insalubris Aeris, novi hujus discessus, procul dubio, in caussa fuit; cumque de Oppido *Emporii*, *Sanctique Miniatis*, pro tuta statione primo cogitatum fuisset (*b*); demum *quoadusque Pisis salubrior Aer fieret*, rursus in *Oppidum Prati* transferri decretum fuit, die 21. Januarii An. 1485., quod tandem die secunda recurrentis Quadragesimæ, fuit executioni mandatum, literis jampridem ad *Octoviros Prati*, nec non ad *Antonium Simeonis Canisiani* eorum Potestatem, in id opportune exaratis. (*c*)

Brevis, nec admodum quieta, isthæc mansio fuit, universitatis Regimen, per id temporis, obeunte *Jacobo Maciotta Siculo* (*d*); vi siquidem,

(a) *Franc. Orlend. Orb. Sacr. P.* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 25.

(b) *Præd. Volum.* 4. *Deliber. Stud. in Arch. Reform. pag.* 47.

(c) *Ibid. sub die* 27. *Januar. d. An.* 1485.

(d) *Pag.* 55. *Præalleg. Volumin.*

per Academicos quosdam, Ancillæ cuidam nuptæ illata, provocatisque militibus, ipsoque ductore Pratensis Comitatus, abstinendum per aliquot dies a publicis Prælectionibus fuit: vacationem hanc, ob levem, ut ab initio opinabantur caussam, improbantibus supremis Studii Moderatoribus; quamvis postmodum in perpetratum scelus serio inquirentibus (*a*); ac de prudenti, ut primum per Pisani Aeris salubritatem exequi possent, Scholastici Cœtus in pristinam Sedem reductione, cogitantibus.

Curata interim, inter Studiosos quosdam Panormitanos civilis controversiæ, compositio; necnon inter *Eduardum Lusitanum* ejusdemque fautores, ac Nobilem Familiam *de Mastianis*, animorum reconciliatio. Reconcinnata ope ac ministerio *Bernardi Pulcj* Provisoris vigilantissimi, scholarum subsellia. Probata, suasore potissimum *Petro Aldobrandinio*, prudentis discipuli *Simonis Vannis de Oricellariis*, de quo alibi fusius, in novum Universitatis *Rectorem*, electio. Edictum Pœnale, pro Regressu in

(*a*) *Ibid. sub d.* 2. *April.*, *ac die* 2. & 16. *August.* 1486. *pag.* 50. *&c.*

in Pisanam Urbem, publice promulgatum; ipsum denique, nondum transacto Anno, a die memoratæ profectionis, Pisanum Gymnasium tutissime reseratum; & pro Studiorum Renovatione, ab erudito Alumno *Henrico Lusitano*, habita solemnis Oratio inauguralis. (*a*)

Qui autem incolumitati tutæque stationi suorum advenarumque studentium prospexerant amantissimi Gymnasiarchæ, ea, quæ par erat, sollicitudine, Ærario quoque, unde Professoribus tempestive, & absque ulla imminutione, satisfieret (ut subsecutis temporibus aliquando contigisse ægre mihi narrandum erit) providentissime sategerunt. Quamobrem pluries pro Ecclesiastica illa subventione, quam a *Sixto IV.* alias impetraverant (*b*), Eidem, transacto primo Quinquennali cursu, successoribusque, recurrenti quocumque tempore, supplicarunt.

Neque dubito quin, sedatis jam inter ipsum Romanum Pontificem, ac Florentinam Rempublicam dissi-

a iv diis,

(a) *Mens. Decembr. d. An.* 1486. *ut ibid. pag.* 55. *& seq.*
(b) *Vid. supr. Op. V. pag.* 41.

diis, pro secunda vice, circa Annum 1480. obtinuerint, curante potissimum nobilissimo viro *Guidone Antonio Vespuccio J. C. Florentino*, apud Apostolicam Sedem Agentis partes obeunte, & ex præscripto Dominorum, efficaci opera utente *Cardinalis S. Georgii*, nempe *Raphaelis Galeotti Riarii*, Pisanæ Ecclesiæ Administratoris, ut superius adnotatum fuit, & *Cardinalis S. Petri ad Vincula*, nempe *Juliani Roborei*, postea, sub nomine *Julii II.* Romani Pontificis, qui apud *Sixtum ipsum*, plurimum gratia & auctoritate valebant. Anno siquidem 1483., imminentem Academiæ jacturam ob oculos ponunt, si subsequenti Anno, eodem Ecclesiastico subsidio destituerentur; & elabente anno 1484., quasi novum calcar addendum Supremo Ecclesiæ Gubernatori præcipiunt, facilitatem illam summam humanitatemque, *qua in exigendo utuntur*: quæ plane verba nonnisi actu possidentibus congruunt, & aptantur. (*a*)

In irritum vero cessisse humiliores in dies Preces, quibus, decurrenti hoc

(a) *Lib.* 3. *Off. Reform. pag.* 39. 73. *&c.*

hoc eodem anno 1484., pro Triennali saltem Prorogatione Decimarum ipsarum instabant, illud argumento mihi est, quod sub die 13. Maij subsequentis anni 1485., absenti *Laurentio Mediceo*, cui plerisque religio fuerat quippiam, in hoc Petitionum genere, denegare, Augmentum pro *Lippio*, alioquin meritissimo Professore, denegant Academici Curatores, defectumque hujusce *Pontificij Proventus*, præcipue caussantur (*a*). Causam vero non obtenti Privilegii, de cujus non mediocri spe concepta alias constat, inquirentibus, eam facile obtenderem, mortem *Sixti*, idibus Augusti ejusdem anni 1484. subsecutam (*b*). Florentinis enim, absit verbis invidia, in seligendis mediis perspicientissimis; in promovendis negotiis efficacibus; in Orando facundis; in promittendo magniloquis, aut cita, aut nulla repulsio fit.

Quod autem a prædefuncto *Sixto* iterum impetrare iis minime concessum, a proximo Successore *Innocen-*

(a) *Lib. 4. pag. 33. terg.*

(b) *Alph. Ciaccon. in Vit., & Gest. Innoc. VIII. in princ.* = *August. Calmet. in Chronol. sub D. 12. August.* 1484.

centio VIII., non multo post, absque dubio, obtinuere. Tenor recentis hujus Brevis hic est. *A tergo....*

Dilectis filiis Abbati Monasterii Beatæ Mariæ de Florentia (*a*) *& Pandolfo de Luna Canonico Florentino* (*b*).

„ Innocentius Papa *VIII.* Dilecti
„ filii salutem & Apostolicam bene-
„ dictionem. Supplicari nobis humi-
„ liter fecerunt dilecti filii Priores
„ libertatis & Vexillifer Justitiæ po-
„ puli civitatis Florentiæ dignaremur
„ indultum alias eis a fel. rec. *Sixto*
„ *IV.* prædecessore nostro concessum
„ de imponendo subsidio & contri-
„ butio-

(a) *Abbatiæ tunc temporis præerat Domn. Benedictus Amerighius Florent., teste Puccinel. in Chronic. pag.* 61. *præcipuus verò Executor, Jo: Evangelista Mediolanensis, ut in Nov. Chronol., quam Typis parat erud.* Petrus Aloys. Gallettus, Cassinens. Monachus, & Lector.

(b) *Pandulphus de Luna Canon. Florent., & Pronot. Apostol. jacet cum decenti habitu, & Inscriptione ante gradus Presbyterii in Florentina Ecclesia S. Petri Scheradii, cujus erat Prior; ut in Ms. Sepulchr. Steph. Rossel., ubi de hoc, marmoreo Monumento.*

„ butione quinque M Ducatorum an-
„ nuatim, durante Quinquennio, ex
„ tunc computando Clero dominii
„ Florentini pro manutentione &
„ augmento Studii Pisani confirma-
„ re & prorogare ad aliquod aliud
„ tempus. Nos animadvertentes Stu-
„ dium ipsum ad communem om-
„ nium utilitatem pertinere & opus
„ esse laudabile & Apostolico favo-
„ re dignum duximus annuendum
„ precibus illius Reipublicæ quam
„ facimus plurimi & diligimus pa-
„ terne. Itaque indultum dicti præ-
„ decessoris juxta ejus formam &
„ continentiam ad aliud quinquen-
„ nium a data præsentium compu-
„ tandum extendimus & proroga-
„ mus, vobisque committimus ac man-
„ damus ut hujusmodi subsidium &
„ contributionem ab omnibus & sin-
„ gulis Archiepiscopis, Episcopis,
„ Clericis, Abbatibus, Prioribus,
„ necnon Monasteriis ac quibusvis
„ aliis piis locis seu eorum Recto-
„ ribus vel administratoribus in ip-
„ so Florentino Dominio existenti-
„ bus dictum quinquemillium Duca-
„ torum subsidium durante hujusmo-
„ di quinquennio & non ultra exi-
„ gatis alias juxta tenorem & con-
„ tinentiam brevis d. prædecessoris.

„ Dantes vobis facultatem potestatem
„ & auctoritatem renitentes solvere
„ & contribuere per censuras Eccle-
„ siasticas & alia opportuna remedia
„ cogendi, & compellendi invocato
„ etiam ad id si opus fuerit auxilio
„ brachij secularis. Non obstantibus
„ omnibus quæ idem prædecessor in
„ suo brevi voluit non obstare cete-
„ risque in contrarium facientibus
„ quibuscumque. Datum Romæ apud
„ Sanctum Petrum sub anulo piscatoris
„ die XIII. Junii *MCCCCLXXXVII.*
„ Pont. nostri Anno 3.
„ Hier. Balbanus.

De Publica Utilitate æque satagentes & anxii iidem Studiorum Præsides, ut magis magisque nostrates & exteri Auditores allicerentur ad confluendum in hoc disciplinarum Emporium (in quo prid. Non. Novembr. An. 1487. Ducenti jam enumerati sunt) illud quoque pro Legum Studiosis, quorum major numerus semper in Academia nostra extitit, ope novi eorum nuncii apud Sum. Pontificem, videlicet prælaudati *Jo: Orsini de Lanfredinis* (*a*) instan-

(a) *Memor. in Tabul. Reform. pag. 23.*

ſtando conſequuti ſunt, ut *Eccleſiaſtici etiam in dignitate conſtituti*, qui ad differentiam reliqui cœtus inferiorum Clericorum, fuerant jampridem a felicis Recordationis *Clementis VI.* conſtitutione, a fructuum Perceptione excluſi (*a*), Fructus ipſos inpoſterum, Piſis Studiorum cauſſa degentes, inſtar ceterorum, non obſtantibus quibuſcumque aliis conſtitutionibus, adipiſcerentur. Quod iſtud quoque Beneficium prælaudati *Sum. Pont. Innocentii VIII.* Indulto acceptum debeant, patet ex celebri Bulla in Archivo Reformationum Florentinarum; relata etiam per extenſum ab inſigni Piſano Profeſſore *Lælio Mancinio* (*b*), atque etiam a Præceptore quond. noſtro *Lazaro Benedicto Melloruccio* (*c*) quæ ſic ſe habet....

„ Innocentius Epiſcopus Servus „ Servorum Dei Dilectis filiis Uni-

„ ver-

(a) *Vid. Excurſ. Hiſtoric. pag. XIIII.*

(b) *Sacr. Jur. Controv. Lib.* I. *Diſſert.* 27.

(c) *Lib. I. Inſtit. Canonic. Tit. XXV. de Vit. & Honeſt. Cleric. in fin. ubi, per Typograph. Mend. An.* 1485. *ſignatur.*

„ versitati Scholarium Studii Pisa-
„ rum salutem, & Apostolicam be-
„ nedictionem. Sinceræ devotionis
„ affectus, quem ad nos & Roma-
„ nam geritis Ecclesiam, promere-
„ tur, ut illa vobis favorabiliter con-
„ cedamus, per quæ Personæ Eccle-
„ siasticæ Juris Civilis studio in Uni-
„ versitate vestra, ut æquum ab ini-
„ quo, & licitum ab illicito facilius
„ discernere valeant intendere vo-
„ lentes id licite facere possint. Cum
„ itaque sicut exhibita nobis nuper
„ pro parte dilectorum filiorum Re-
„ formatorum, seu Officialium dictæ
„ Universitatis petitio continebat,
„ sæpe numero contingat Clericos
„ Sæculares etiam in Sacerdotio con-
„ stitutos, Archidiaconos, Archi-
„ presbyteros, Decanos, Plebanos,
„ Præpositos, Cantores, aut quam-
„ cumque aliam dignitatem, seu
„ Personatum obtinentes in dicta U-
„ niversitate literarum studiis insi-
„ stentes, ut in Jure Cannonico me-
„ lius proficere valeant desiderare le-
„ gibus operam dare. Nos Vestris,
„ ac Reformatorum, seu Officialium
„ prædictorum in hac parte suppli-
„ cationibus inclinati omnibus, & sin-
„ gulis Presbyteris, Archidiaconis,
„ Archipresbyteris, Decanis, Pleba-
„ nis,

„ nis, Præpositis, Cantoribus, aut
„ aliis Personis Ecclesiasticis digni-
„ tates, seu Personatus obtinentibus,
„ & in dicta Universitate ubicum-
„ que pro tempore illam esse conti-
„ gerit, si forsan ad alium locum
„ transferretur pro tempore studen-
„ tibus, ut in Scholis publice leges
„ audire, ac quoscumque actus pu-
„ blicos per Doctores, & Scholares
„ in hujuscemodi facultate exerceri
„ solitos exercere, ac ad Baccalau-
„ reatus, sive Licentiæ, & Doctora-
„ tus gradus in eisdem legibus pro-
„ moveri libere, ac licite valeant,
„ felicis recordationis Alexandri III.
„ Honorii etiam III. Clementis IV.
„ & Bonifacii VIII. Romanorum
„ Pontificum Prædecessorum nostro-
„ rum, ac aliis constitutionibus, &
„ Ordinationibus Apostolicis, cæte-
„ ris contrariis nequaquam obstanti-
„ bus, authoritate Apostolica tenore
„ præsentium de specialis dono gra-
„ tiæ indulgemus. Proviso, quod
„ Archidiaconatus, & Archipræsby-
„ teratus, Decanatus, Plebanatus,
„ Præpositurae, ac aliæ dignitates,
„ & Personatus, quas in eisdem le-
„ gibus in dicta Universitate studen-
„ tes, pro tempore obtinere contige-
„ rit,

„ rit, debitis interim non frauden„ tur obsequiis, scilicet eorum con„ gruis supportentur onera consueta. „ Nulli ergo omnino liceat hanc pa„ ginam nostræ concessionis infrin„ gere, vel ei ausu temerario con„ traire. Si quis autem hoc attenta„ re præsumpserit, indignationem „ Omnipotentis Dei, ac Beatorum „ Petri, & Pauli Apostolorum ejus „ se noverit incursurum. Datum Ro„ mæ apud Sanctum Petrum, An„ no Incarnationis Dominicæ 1487. „ XVIII. Kalendas Januarj, Ponti„ ficatus nostri anno quarto

„ Cl. G. Bonatus Negionblat.
„ Jo.Nilus. L. de S.Gemin. „ Jo.de Castello.
„ D. Geriano. „ Jo. de Ferrarii.
„ D. Galleitus Ju. Cl. No. Pius Agnellus Phi. Post. A. de Piccolominibus.

Verba quidem Secundæ hujus *Innocentianæ Bullæ*, de Fructuum perceptione minime loquuntur; verum ut eadem derogatoria sit contrariis Constitutionibus; ut Ampliativa sit, ut ajunt, alterius jam pridem a *Clemente VI.* obtentæ, ac supra relatæ, in qua, quicquid circa Clericos Inferiorum Ordinum disponitur, disponitur relative ad Perceptionem fructuum, adeoque menti, indigentiæ, explicitisque Petitionibus Reipublicæ sit

con-

consona, de fructibus quoque, videtur intelligenda.

Neque reticendum tamen, ex dispositione Tridentini, atque ex posteriori *Pii IV.* Constitutione, quæ incipit *Sanctissimus* &c., subsecutisque Sacræ Congregationis declarationibus, quoad Fructus, multoque magis distributiones, Summo Pontifici supplicandum; eundemque, nonnisi prævia Relatione Ordinarii; atque Ordinarium, nonnisi perpensa ætate Supplicantis, capacitate, moribus, suæque Ecclesiæ necessitate [prout probum Episcopum decet] Petitionibus annuere, ut fuse docent *Pyr. Corrad. in Praxi Dispensat. Lib. V. Cap. 6.* fere per tot., *Franc. Monacell. in Form. Legal. Pract. Fori Eccl. P. I. Tit. 6.*, & alii pene dixerim sexcenti.

His, ut fidem meam liberarem, adnotatis (*a*) regredior ad prælaudatum Diploma, animadvertendo, quod Indulctum Hoc, utpote nulla temporis duratione circumscriptum, nulla prorsus indiguit ipsius, vel alterius Pontificis Confirmatione.

Con-

(a) *In Excurs. nostra Histor. pag. 6. & 17.*

Contra vero Superius, pro Temporaria Decimarum Exactione, circa eadem hæc tempora, bis confirmatum fuisse deprehendere datur; & primo quidem ab *Alexandro* hujus nominis *VI.* paulo ante Pisanam Defectionem [quod utique tempus, nedum *Academiæ nostræ*, sed & universæ Italiæ funestissimum (*a*) præsentis Opusculi meta erit] sequens hæc Authentica Pagina testatur. ⇌ A' tergo ⇌ *Dilectis Filii Rainerio Archidiacono* (*b*) *& Pandulfo de Luna Canonico Ecclesiæ Florentinæ* (*c*) *Notariis Nostris Alexander P. VI.*

„ Dilecti Filii salutem, & Apo„ stolicam Benedictionem. Suppli„ cari Nobis humiliter fecerunt di„ lecti filii Priores Libertatis, & „ Vexillifer Justitiæ Populi Civita„ tis Florentiæ dignaremur Indultum „ alias eis a fel. recordat. *Sixto IV.* Præ-

(a) *Franc. Guicciard. Lib. I. Hist.*

(b) *Raynerius Hic fuit e Familia Guicciardinia, & de Hoc tamquam Academiæ Nostræ Rectore, actum in Opusc. V., cui Tit.* Collectio &c. *præcip. Monum. pag.* 36.

(c) *De Pandulpho autem de Luna actum super. in hoc eod. Opusc.*

„ Prædecessore Nostro concessum, &
„ postmodum per fel. record. *Innocentium PP. VIII.* similiter Prædecessorem Nostrum, ad quinquennium
„ prorogatum de imponendo Subsidio, & Contributione Quinque
„ Millium Ducatorum annuatim durante quinquennio ex nunc computando Clero Dominii Florentini pro manutentione, & augmento Studii Pisani confirmare, &
„ prorogare ad aliquod aliud tempus.
„ Nos animadvertentes Studium ipsum ad communem omnium utilitatem pertinere, & opus esse
„ laudabile, & Apostolico favore dignum, duximus annuendum precibus illius Reipublicæ, quam facimus plurimi, & diligimus paterne. Itaque Indultum dicti Prædecessoris Nostri juxta ejus formam, & continentiam per *Innocentium*, ut præmittitur, ad Quinquennium prorogatum, ad aliud
„ Quinquennium a data præsentium
„ computandum, extendimus, &
„ prorogamus, Vobisque committimus, & mandamus, ut conjunctim hujusmodi Subsidium, & Contributionem ab omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Clericis, Abbatibus, Prioribus, nec-

non

„ non Monasteriis, ac quibusvis aliis
„ Piis Locis, seu eorum Rectoribus,
„ vel Administratoribus in ipso Flo-
„ rentino Dominio existentibus Di-
„ ctum Quinque Millium Ducatorum
„ Subsidium annuatim, durante hu-
„ jusmodi Quinquennio, & non ul-
„ tra, exigatis, alias juxta tenorem,
„ & continentiam Brevis d. Præde-
„ cessoris. Dantes vobis facultatem,
„ potestatem, & authoritatem, re-
„ nuentes solvere, & contribuere
„ per Censuras Ecclesiasticas, & alia
„ opportuna remedia cogendi, &
„ compellendi: invocato etiam ad
„ id, si opus fuerit auxilio Brachii
„ Secularis. Volumus autem, &
„ vobis, ac cuilibet Vestrum sub
„ Excommunicationis latæ senten-
„ tiæ, & maledictionis æternæ pœ-
„ na ipso facto incurrenda, per præ-
„ sentes præcipimus, & mandamus,
„ ut ultra dictam summam Quinque
„ Millium Ducatorum annuatim du-
„ rante d. Quinquennio, nihil aliud
„ penitus petatis, neque exigatis,
„ nec a quoquam peti, vel exigi
„ permittatis, & Clerum in nullo
„ penitus alio dicta ex causa grave-
„ tis. Non obstantibus omnibus, quæ
„ idem Prædecessor in suo Brevi
„ voluit non obstare, cæterisque in
„ con-

„ contrarium facientibus quibuscum-
„ que. Datum Romæ apud S. Petrum
„ sub annulo Piscatoris Die XVIII.
„ Septembris *MCCCCLXXXXIII. Pon.*
„ *N. An. II.* (*a*)

Pro hoc, & quidem insigni beneficio, suæ Sanctitati gratias a Florentina Republica officiosissime redditas, patet ex eleganti quadam Epistola, quæ sub n. 164., in conspicuo quodam Codice, penes alibi laudatum virum *Jo. Baptistam Dejum*, Archivo Secreto S. C. M. Florentiæ Præfectum, legitur ita concepta = *Alexandro VI. P. M.* „ Annuisti per-
„ benigne pro tua clementissima na-
„ tura, & mirifica quadam in nos,
„ & Urbem Florentinam humanita-
„ te, atque indulgentia, votis no-
„ stris, quæ tibi superioribus diebus,
„ per Antonium Collensem Secreta-
„ rium apud Te nostrum porreximus,
„ ac supplicavimus Sanctitati Cle-
„ mentiæque tuæ, ut quod & Sixtus
„ IV., & deinde Innocentius VIII.
„ fecerant, tu quoque concederes,
„ ut non invito S. P. nobis auxilium
„ exigere Quinque Ducatorum Mil-
„ lium

(a) *Ex Lib. V. Offic. Studii in Arch. Reform. Florent. pag.* 191.

„ lium quotannis in Quinquennium
„ a nostris Clericis liceret in Studii
„ Pisani subventionem. Desunt vero
„ verba, Beatissime Pater, quibus
„ meritas agere possimus gratias pro
„ tanto in nos testimonio Paternæ
„ prope, non modo Pontificalis ca-
„ ritatis. Quamquam vero res ipsa
„ per se digna est, quæ Bonorum
„ favores facile imploret; tamen ob
„ eam modo significationem a Te
„ factam, adeo in nos benevolentis
„ animi, vel ingentissima munera
„ exequat, & afficit gaudio incredi-
„ bili, quod non negligi preces no-
„ stras a Te tanto Principe, immo
„ vero Principum Principe, & Jesu
„ Christi meritissimo Vicario, clare
„ perspeximus. Majora autem multo
„ sunt merita tua, quibus obnoxiam
„ fecisti Tibi Civitatem nostram,
„ & omnem prope Italiam, & Chri-
„ stianum nomen, ut paulo quoque
„ ante ad Te scripsimus. Sed &
„ hoc tantum addidit, ut perfectus
„ jam cumulus Benefactorum a Te
„ esse videatur, quibus nihil omnino
„ esse possit reliqui, quod Tibi a
„ nobis, & Populo omni nostro non
„ debeatur. Ex Palatio nostro die
„ 28. Septembris 1493.

Secunda Indulti concessio Paternæ

Benignitati ejusdem S. Pontificis debetur sub Anno 1498., cujus tenor opportunius proferetur in sequenti.

Inter eos autem Annorum limites, quos mihi dumtaxat Historica hac narratione illustrandos proposui, ad quarumdam Legum Reformationem utiliter deventum est. Harum summa tantum Capita, ad sua quæque loca congrue referenda, ne nimius sim in Constitutis non ita magni ponderis, & jam antiquatis, aut in æconomicis fere quotidianis recensendis, benigno Lectori gravis, molestusque sim, hic profero.

Prope finem Anni 1486., nempe die 8. Decembris, dispositum quod *Nostrates etiam possint vocem reddere in creando Rectore*, ea postmodum, Die septima Januarii exceptione addita quod *Nullus Florentinus* possit esse Consiliarius, quando Rector, aut Vice-Rector est *Florentinus*. (*a*)

Elabente Anno 1487., ut alibi prænotatum fuit (*b*), prospectum simul commodo Extraordinarie Prælegen-

---

(a) *Lib. 4. Official. Stud. pag.* 59. & 61.

(b) *In Opusc.* 8. *cujus Tit.* Monum: &c. *in Not.* A *Rub.* 4. *pag.* 11.

legentium festis diebus, atque Auscultantium utilitati, Academico quodam Edicto, quod *Lecturæ Festorum dierum dentur per totum Julium quolibet anno non per totum Octobrem* (*a*): quod utique tempus, arbitrio Sapientissimorum Athenæi Provisorum, modo decernitur.

Per triennium circiter ab aliis Publicis Legibus promulgandis cessatum est; atque unam dumtaxat œconomicam, sub An. 1489. reperire datur, videlicet quod *Legitimæ quæque Retentiones per Camerarium fieri solitæ, ac quicquid impendio Conductionum superest, Studii commodo vergant, & Ædificio prosequendo applicentur*. (*b*)

Vertente autem An. 1491., cum experientia teste compertum fuisset, inter Universitatis Rectorem Pro-Rectoremve; subjectosque Professores Discipulosque, graves subinde controversias oriri posse, quas implicaret ipsius Academici Superioris sententia definiri, hujuscemodi negotia amplissimo *DD. Consulum Maris Magistra-*

(a) *D. L.* 4. *pag.* 79.

(b) *Volum. signat.* R. *pag.* 63. & 89. *in Arch. Florent. Reform.*

ſtratui, de plano cognoſcenda definiendaque, commiſſa ſunt (*a*).

Cumque non ita facile reperirentur qui, Vacationum diebus, Extraordinarii Lectoris munus obirent, ob nimium rigorem, in quem paulatim Electio iſthæc excreverat, remiſſum nonnihil ejus rigoris fuit; & ad habendum majorem numerum Optantium, & Eligentium, dilata, novo Edicto, in Menſem Julii, ipſorum Electio, ut ſupra adnotavimus (*b*).

Eo forſan ſpectavit, ſaltem ſecundario, coæva Reformatio (*c*), ut in locum deficientium Conſiliariorum, ad quos ſpectabat Extraordinariorum Electio, alii *Ejuſdem Nationis* ſufficerentur; præſtat enim præviam, & quaſi per manus traditam Perſonarum, atque expediendorum negotiorum cognitionem habere; primo tamen, ac principaliter ad ſarta tuenda jura hujuſce Dignitatis in Provincialibus, ſtatutum id exiſtimandum: ſicuti ad diſcretam quandam

(*a*) *Lib.* 4. *pag.* 157. *ſub D.* 13. *Octobris d. an.* 1491.

(*b*) *Ex præd. lib.* 4., *& Op.* 8.

(*c*) *Ex Statut. Acad. Florent. in fin.*

Sholasticorum Munerum, inter diversarum Facultatum Studentes, distributionem, ad pristinam observantiam revocatum, An. 1493. (*a*) Statutum ferme antiquatum, quod *Rector quilibet Tertius sit de numero Artistarum, si reperiatur*; sique Ambitiosi quidam emergant, qui eodem anno, duplicem Lecturam ab amicis Consiliariis extorqueant, sicque aditum reliquis Scholasticis ad quæstum hunc, & honorem obcludant, salario careant (*b*).

Ad publicam vero quietem habendam, in quam nonnulli sæpe sæpius peccaverant, eodem anno (*c*), ad *Capitaneum Pisanum*, & *Consules Maris* (quos hinc, & aliunde constat in Academiæ rebus adhibitos) (*d*) conjunctim seria hæc Epistola transmissa = *Che faccino publicamente bandire, che nessuno Scolare di qualunque grado o conditione si sia, presuma o ardisca di Dì o di Notte per alcun* tem-

(a) *Ex d. Lib.* 5. *pag.* 14.
(b) *Ibid. pag.* 20. *sub d.* 7. *Febr. An.* 1493.
(c) *D. Cod. pag.* 16.
(d) *Ex Lib. Reform. inscript.* Ricordi *part. ult. pag.* 9. & 11.

tempo portare larme apte o a offendere o difendere di che ragione si sieno sotto quelle pene, e prejudicj, che e come a Voi parrà più expediente ec.

Neque tamen hinc inferendum pristinæ Rectorum Scholasticorum auctoritati quidpiam fuisse detractum; præfuerunt siquidem peculiari Academiæ gubernio, cum solita jampridem Jurisdictione quotannis; & his potissimum intermediis, *Nuccius Micarius Siculus*, *Nicolaus de Montagnano Majoricensis*, *Jo: Franciscus de S. Basilio Calaber*, *Petrus de Brandis Niciensis*, quos hic, data opportunitate, honoris gratia nomino (*a*).

In id quoque negotii peculiares animi curæ ac solicitudines impensæ, ut Jussum circa Scholarum Theatrum, Quatuordecim circiter annis antea emanatum (*b*), plenæ tandem aliquando executioni mandaretur. Cumque Florentini Studiorum Moderatores subsidiaria opera Pisis uterentur *Francisci Laurentii de Cambinis*, industrii plane Civis, & actuosi, qui

(a) *Ex Miscell. Hieronym. Sum. pag.* 32. = *Ex Lib.* 5. *pag.* 12. *Reform. &c.*

(*b*) *Vid. Motup. in Opusc. V. cui Tit.* Collect. &c. *pag.* 10.

si, qui tunc temporis Ministerio Doanæ præerat, & aliquando etiam Bonis Misericordiæ administrandis præfuit (*a*), ad eum plures Epistolæ transmissæ, quibus nunc (*b*) *Pini centum cædi* mandantur; nunc *cæmenta*, & alia hujus generis parari; *Sales è Sapientia removeri, ne domum, & parietes consumant* (*c*); *Insigne Universitatis Cherubin super Janua Abundantiæ, ubi Sapientia est facienda*, apponi &c. (*d*) Utque Ærarium impensis *Florenorum mille*, quos huic Operi destinarant, par esse posset, ea circa Retentiones &c. Provisio emanata, de qua superius.

Quodnam autem extiterit, & ubi tale Ædificium cœptum promotumque, Historica disquisitio est, quæ an-

---

(a) *D. Volum.* 4. *Rer. Stud. pag.* 62. 74. *&c.*

(b) *D. Lib.* 4. & 5. *sub An.* 1486. *& seqq.*

(c) *Hinc patet Dohanæ salis locum hunc fuisse conterminum, ut communis etiam fert traditio.*

(d) *Cherubin, forsan inter alia Insignia, quæ super Janua, nunc obclusa, a Borreali parte, semideleta conspiciuntur.*

anxiam, non ignoro, detinet Academicorum Pisanorumque cultiorum mentem.

Mea quidem sententia, Hoc Ædificium procul dubio illud est, quo nunc utimur, situm in spatiosa quadam Peninsula, ab Orientali sui latere, in ea Urbis semita, quæ vulgo *Via del Gigante* nuncupatur; & a notissima *S. Frigdiani* Ecclesia, olim Camaldulensium, postea Equestris Ordinis *D. Stephani*; nunc vero *PP. Barnabitarum* (*a*), ad proximum Arni Flumen recta adducit, in Parochia nunc *S. Margharitæ*, alias *S. Clementis*; quondam vero prope dirutam Ecclesiam *S. Hilarii*; interjecto tantum inter ipsam semitam, atque illam Arni, viculo, ubi *Theatrum Anatomicum* est, ac vetus Ecclesia *S. Mariæ ad Nives*: quæ sacra ædes, usque a temporibus *Martini V.* S. P. & *Juliani de Riccis*, Pisani Antistitis, ad Pisanos Parochos pertinet (*b*), licet multo antea ædificata, anno videlicet 1346., ut ex coæ-

(b) *Notit. Abbat. Camaldul. præmiss. Vit.* D. Gherard., *edit. Venet. An.* 1736.

(b) *Memor. delle Chiese Pisane ec. ap. nob. Famil. del Torto.*

va Inscriptione ibidem apparet, quæ talis est:::

„ Questa Ecclesia chiamata Santa
„ Maria Vergine fuè edificata per
„ lo Commune e per lo Populo di
„ Pisa in dell' Anno dela Incarna-
„ gione del nostro Signore Jesu Chri-
„ sto 1346. del Mese d' Agosto stan-
„ te essendo Domino Ranieri No-
„ vello Conte da Donoraticho Capi-
„ tano Generale di Pisa, e di Luc-
„ cha, e del loro Contado † Cec-
„ cho di Lemmo Capo Maestro de
„ dicto lavoro, e della Piassa † Gio:
„ Bucchia Cittadino di Pisa fue Ope-
„ rajo della soprascripta Ecclesia e
„ della Piassa della Biada in delo
„ dicto tempo.

Ante adapertum hoc Studiorum Theatrum, æque certissimum est, ex infrascripto Monumento [cujus inspiciendi transcribendique copiam mihi benigne fecit dignissimus Æditus *Franciscus Quarantottus* Nobilis Pisanus, qui tanta benevolentia Academiam nostram prosequitur, quanta doctrina *Marcus Antonius*, ac *Clemens* ejus Gentiles eandem ipsam, publice profitendo illustrarunt] (a) ibi

(a) *De* Marco Anton. *Rotul. Univers. an.* 1554., *de* Clem. *an.* 1559.

ibi *Plateam Frumentariam* proſtitiſſe, extructam anno 1341., ut fere communiter exiſtimatur, aut ſaltem amplificatam, empta in eum uſum domo, ab heredibus di *Vanni* di *Cocchō di Corte* (*a*). Inde pariter innoteſcit quod eadem in nobiliorem uſum Scholarum occupata, proviſum fuit œconomicæ rei Primitialis Eccleſiæ, quæ ipſius proventu antea fruebatur; & ad novam Triticiariam Plateam, ejus vice, extruendam; tabernas, horreaque circumaptanda, vetus Forum Suariæum deſtinatum: quamvis non illico, poſt prædictum Annum 1493., eæ tabernæ, ædificiaque illa extructa fuerint ea prorſus forma, quam nunc intuemur; ſed Principatu jam conſtituto. Quæ forma ex eo, quod ſimilitudinem quandam cum recenti noſtro Gymnaſio præſeferat, Populari opinioni anſam præbuit antiquum Scientiarum Gymnaſium ibi patuiſſe.

Sed jam prodeat indubitatiſſimum Monumentum, quod ſuperiora comprobat (*b*).

 „ In

(a) *Archiv. Piſ. Commun. ſub D. An.* 1341.

(b) *Ex Lib. Privil. Operæ Primit. Eccleſ. Piſ. pag.* 8. *terg.*, *erut. ex Cb. Pergam.* 3371.

„ In Dei nomine Amen. Anno
„ Incarnationis Domini Noſtri Jeſu
„ Chriſti Milleſimo Quadringenteſi-
„ mo Nonageſimo Tertio, Indictio-
„ ne XII. Die vero Vigeſima Men-
„ ſis Decembris in Conſilio Populi,
„ Vigeſima Tertia Menſis ejuſdem
„ in Conſilio Communis, & Die
„ Trigeſima, pro finali Concluſione,
„ in Conſilio de Ducento Civitatis
„ Florentiæ, Ex Mandato Magnifi-
„ corum, & Excelſorum Domino-
„ rum D. Priorum Libertatis, &
„ Vexilliferi Juſtitiæ Populi Floren-
„ tini, ſufficienti tractu, Convoca-
„ tione Campanæque ſonitu more ſo-
lito Congregatorum. Quorum Do-
min. Prior. & Vexillif. nomina ſunt
iſta, videlicet....

„ Pedone Jacobi Dominici de Pe-
„ donibus,
„ Johannes Ser. Antonii Ser Ba-
„ ptiſtæ de Bartholomeis.
„ Bernardus Dominici Jovannis de
„ Giugnis.
„ Johannes Donati Nicolai Cocchi
„ de Donatis.
„ Filippus Andreæ Nicolai de
„ Carduccis.
„ Antonius Marſilii Bernardi de
„ Vecchiettis.
„ Franciſcus Juliani Giovenchi de
„ Medicis. „ Ama-

„ Amadius Amadii Zenobii del
„ Giocondo Priores Libertatis
„ Petrus Gini Nerii de Capponi-
„ bus Vexillifer Justitiæ, & Priores
„ numeris sufficientibus congregati
„ in Palatio Populi Florentini, per
„ quemlibet ipsorum totaliter appro-
„ bata admissa, & acceptata fuit in-
„ frascripta Provisio facta, & dicta
„ super infrascripta Petitione, & o-
„ mnibus, & singulis in ea conten-
„ tis primo per ipsos Dom. Priores,
„ & Vexilliferum, & postea per ip-
„ sos Dominos Priores, & Vexilli-
„ ferum, & Gonfalonierios Societa-
„ tum Populi, & Duodecim Bonos
„ Viros Communis Florentiæ, &
„ infra proxime adnotata, & scri-
„ pta, & provisum, & ordinatum
„ fuit, quod in his, & super his o-
„ mnibus, & singulis infrascriptis
„ procedatur, & observetur, firme-
„ tur, & fiat, & firmum, & stabi-
„ litum esse intelligatur, & sit in
„ omnibus, & per omnia secundum
„ hæc Provisio inferius continebitur.

Cujus quidem petitionis, & super ea editæ Provisionis tenor talis est.

„ Inteso e Magnifici ed Excelsi
„ Sig. Sig. Priori di Libertà e Gon-
„ faloniere di Giustizia del Populo
„ Fiorentino per ricordo di M. Gio:

„ di Mariano da Pisa dignissimo Ca-
„ valiere & Operajo dell' Opera di
„ S. Maria Maggiore e Duomo del-
„ la Città di Pisa come in d. Città
„ era un luogo chiamato la Piazza
„ del Grano, dove d. Opera haveva
„ alcune Botteghe, delle quali tra-
„ heva l'anno circa F. Ventiquattro
„ di Pigione, la quale entrata ha
„ perduta perche sono sute occupa-
„ te dal Commune per farvi la Sa-
„ pientia per lo Studio, e che ha
„ ricevuto d. danno, oltre alla in-
„ commodità di quelli, che sono usi
„ a vender Grano & Biade, e di
„ tutto il Popolo, & oltre al man-
„ camento di tale Edifitio, che era
„ molto bello, ha ricevuto un altro
„ danno, cioè d' un emolumento di
„ due denari per sacco, per avere
„ a prestare le misure, sanza le qua-
„ li misurare non si può in Pisa,
„ el quale antiquamente era stato a
„ d. Opera conceduto, & non mol-
„ ti anni sono da Consigli opportu-
„ ni della Città di Firenze, era sta-
„ to confermato. Et desiderando che
„ d. Opera fussi in queste sue En-
„ trate restaurata, humilmente s' è
„ raccomandata, & examinato tale
„ caso dd. Magn: & Exc: Sig: & in-
„ tesone il parere di molti Savj Cit-
„ tadi-

„ tadini, giudicandosi esser bene che
„ gli assegnamenti di tale Opera,
„ sieno per quanto si può illesi pre-
„ servati, e satisfarla di quello di
„ che è suta privata per la com-
„ modità publica, & questa satisfa-
„ tione farla sanza scemare alcu-
„ na publica entrata, ideo habi-
„ ta primo super omnibus, & sin-
„ gulis die 19. d. Mensis Decem-
„ bris inter se ipsos Dominos Prio-
„ res Libertatis, & Vexilliferum
„ Justitiæ in sufficienti numero con-
„ gregatos in Palatio Populi Floren-
„ tini deliberatione solemni, & in-
„ ter eosdem deliberato solemni &
„ secreto scruptineo & misso parti-
„ to ad fabas nigras, & albas &
„ obtempto secundum Ordinamenta
„ Communis Florentiæ, & postea
„ successive ipso eodem die sequen-
„ te & facta deliberatione inter eos-
„ dem dominos Priores, & Vexilli-
„ ferum & Gonfalonierios Societa-
„ tum Populi & Duodecim Bonos
„ Viros Com. Flor. solemniter in
„ numeris sufficientibus & in Pala-
„ tio antedicto congregatos, facta
„ prius Proposita super infrascriptis
„ omnibus, & singulis diligenter
„ prius examinatis & firmis per
„ Duodecim Procuratores Commu-

„ nis & LXX. Cives ac etiam per „ ſpectabiles Viros *Antonium Laurentii D. Andreæ de Montebuoni*, *Pierum Bartolum Gherardi D. Philippi de Corſinis*, *Benedictum Franciſci Giannozzi de Albertis*, & *Michaelem Corſi Laurentii delle Colombe de numero Collegiorum*; & *Bernardinum Alexandri Antonii del Vigna*, *Thomaſium Zenobii Thomaſii de Ginoris*, *Jacobum Bernardi Alamanni de Medicis*, & *Hieronymum Bencii Nicolai Pauli Benci de Officio Conſervatorum Legum Civitatis Florentiæ* „ ad hæc examinanda, & firmanda „ ſecundum Ordinamenta Deputatos, & omnibus ſervatis ſervandis, „ ſecundum Ordinamenta prædicta „ omni modo via jure, & forma, „ quibus magis, & melius potuerint, Providerunt, Ordinaverunt, „ & deliberaverunt....

„ Che per virtù della preſente per „ l'Operaio predetto, o ſuoi Succeſſori, ſi rifaccia la Piazza del „ Grano in quel luogo di Piſa, el „ quale ſi chiama con riverentia parlando la Piazza dè Porci, el quale luogo ſi dice eſſere molto commodo a tale eſercitio per eſſer vicino al Ponte Vecchio & al di „ rimpetto deſſo eſſer una buona

„ Sca-

„ Scala & buono fondo nel fiume d'
„ Arno. D. luogo al presente s'ha-
„ bita in buona parte da Meretrici,
„ le quali altrove hanno el loro luo-
„ go deputato. Faccia adunque d.
„ Operajo in d. luogo tale Piazza
„ del Grano comperando gli Edi-
„ ficii & siti, che sono in sù d.
„ Piazza, da coloro di chi sono co-
„ me ne saranno d'accordo, & mu-
„ rivi & Botteghe e Magazzini &
„ Portichi expedienti all'Opera del
„ tenere, e vendere Grano Farina
„ Biade, e tutto faccia alle spese di
„ d. Opera. Questa Piazza succeda
„ in luogo di quella Piazza, che vi
„ soleva essere per tale exercitio,
„ & circa alle Misure & Pagamen-
„ ti di quelle & ogni altra cosa s'
„ habbia a observare quello che ob-
„ servare si doveva, non sono molti
„ anni quando d. Piazza Vecchia
„ s'usava &c. &c. E se alcuna diffe-
„ rentia nascessi quali sieno le con-
„ ditioni, le quali si havevano a os-
„ servare nel vendere Grano Farina
„ & Biada, quando la d. Vecchia
„ Piazza del Grano in Pisa era, o
„ necessaria fosse chiarire alcuna ta-
„ le cosa, habbiasene a stare alla di-
„ chiarazione da farsi fra un Anno
„ proximo futuro per e Consoli del
„ Mare

„ Mare & Proveditori delle Gabelle
„ della Città di Pisa &c. Non ob-
„ ſtantibus &c. &c.

Hæc utique reddunt indubiam Aſſertionem hanc Ubi nimirum quondam Forum Frumentarium fuit, ibi novum Sapientiæ Auditorium patere (*a*); non autem è converſo, Ubi nunc Platea Triticiaria eſt, ibi, prædicta ætate, Sapientiæ Theatrum patuiſſe.

Dijudicent Alii an, ſaltem ante prædictum annum 1493., quo Platea prædicta Forum Suarium fuit, & inhoneſtiſſimum Lupanar, contingere unquam potuerit ibi Publicum Gymnaſium fuiſſe; & potiſſimum intermedio aliquo tempore ab anno 1340., quo & proxime ſubſequentibus, in Parochia modo ſuppreſſa, & alteri unita, *S. Simeonis al Parlaſcio*, Scholæ tenebantur, ut æque evidenter ex Documentis in Diſſertatione Hiſtorico Critica noſtra allatis oſtendimus (*b*). Ego, quod ad primæva, ex rationibus præallegatis; quod vero ad proxima huic ætati tem-

(a) *Vid. Lib. Reform. pag. 12. &c.*

(b) *Pag. 25. ex Volum. 20. Archiv. Piſ. Commun.*

tempora, prædictæ opinioni repugno, ex irrefragabili Monumento, quod nunc profero, erutum ex Lib. V. Reformationum Florentinarum pag. 16., sub die 12. Octobris an. 1493. ubi supremi Studii Præsides mandāt = *scribi litteras ad Domn. Simonem Francisci de Bibiena* (*a*) *Abbatem S. Michaelis in Burgo de Pisis Ordinis Camaldulensis, rogantes ne removeat Scolas Doctorum Legentium, quæ sunt in suo Conventu donec in Sapientia tot Scolæ perficiantur, quæ sufficiant omnibus legentibus*. En igitur hac ætate ubi, ante completum prædictum ædificium, saltem aliqua Scholarum pars, publico bono pateret.

Cæterum quæ Affirmantium Opinioni, quantum ad intermedium aliquod

(a) Simon de Martiis, *qui ab an. 1485. usque ad 1520., eidem Abbatiæ præfuit, ut patet ex Libris Rationum, quorum Tres mihi videndos humanissime præbuit Reverendis. Ab. D.* Andreas Tartinius: *in quibus plane mirandum non subit, de re quantum nunc gloriosa, tantum tunc temporis incommoda, & ad Introitum, & Exitum minime pertinente, nihil historice fuisse admotatum*.

quod tempus, suffragari posse viderentur, non ordine ponderis, sed saltuario reminiscientiæ subsidio, dum hæc Typis properamus, hæc sunt. Primo Popularis Vox; de cujus legittimo Autore minime constat, quæ hodiernam hanc Plateam, videlicet *del Grano*, vulgo nuncupat *la Sapienza Vecchia*. Secundo Monumentum quoddam informe Pisanarum Ecclesiarum *Pauli Troncj*, quod Ms. circumfertur, & authenticum habetur penes Nobilem Heredem Familiam *del Torto*, ubi legitur = *Il luogo antiquo della Sapienza fatto fabricare dalli Pisani è quello stesso, dove oggi è la Piazza del Grano, che ancora vi si vedono le Squole in volta, che servano ora per i Magazzini. Lasciò questo il Duca* (& intelligit perperam *de Cosmo I.*, qui nedum non imperabat anno 1493., sed nondum hac lucis usura fruebatur, ortus tantum an. 1519. (*a*)) *Lasciò questo il Duca, & elesse un Sito maggiore, dove si vendeva il grano, e biade &c.* Tertio Assertum Domn. *Gregorii Farulli* in Appendice ad *Historiam Florentinæ Ecclesiæ* An-

(a) *Aldus Manut. in Vit. d. Cosm. pag.* 32.

Angelorum (*a*): qui recentiſſimus Auctor, in his, ac ferme in omnibus Hiſtoricis, dubiæ fidei, poſt ipſum *Troncium*, anteacti ſæculi ſcriptorem, id ipſum memoriæ prodidit; in eo magis patenter deceptus, quod non, illimitato tempore, ut *Troncius*; ſed, vel ab initio naſcentis Univerſitatis, *Autore Factio della Gbrerardeſca*, in hac Platea Frumentaria, reſeratum Scholarum Theatrum explicite tradidit. Quarto denique Academica Conſtitutio, quam mihi primum in hac Controverſia reperire, & proferre datum, ex antiquis Conſtitutis Piſani Lycei (*b*) ubi ſub an. 1478. cohærenter ad Circulares Diſputationes, ita diſponitur = *Et fiant Diſputationes & Circuli Legiſtarum, ſub Propileo, ſeu Sedilibus, & Lodiis S. Philippi; Dialeticorum vero, & Artiſtarum in loco conſueto*. Antequam enim prophanaretur, transferreturque Titulus in Aram in Baptiſterio Piſano poſitam, reperiebatur, ſub titulo *S. Philippi*, & *Jacobi*, quædam Eccleſia, ut exteriora etiam nunc

(a) *Pag.* 41.

(b) *In Opuſc.* 8. *cui Tit. Monum. Hiſtoric. Rub.* 7. *pag.* 15.

nunc delineamenta patefaciunt, contra ædes in Burgo positas, nobilis olim Familiæ *del Bocca*, fere finitima præd. Plateæ, ubi nunc Triticum venale ponitur, simulque contermina ab una parte, quæ Oriens; & ab altera, quæ Meridiem respicit, Porticibus illis, quæ, vernaculo sermone, *di Borgo* dicuntur; Ecclesia, inquam, antiqui Jurispatronatus Illustris Familiæ *de Vicecomitibus*, utpote ab *Hugone Cardinali* ædificata ac dote aucta (*a*); postmodum præclaræ ipsius Familiæ *del Bocca*; nunc vero magnanimi *Equitis Prioris Francisci della Seta Gaetani*: ex quo quidem exercitio Circularium Disputationum ibi fieri jusso, proximi Gymnasii, saltem, præd. an. 1478., conjecturam liceret elicere non contemnendam, nisi ex documento nuper allato; nisi ex vita præmissa Operibus *Philippi Decii* (*b*); ex Pancirolo (*c*); & quod magis est, ex Monumentis Academicis, & ex ipsis Archivis *S. Michaelis*, innotesceret, Hic potius simi-

(a) *Tronc. Annal.Pisan. sub an.* 1117. *pag.* 58.
(b) *Franc. Boez. ips. Discipul.*
(c) *De Clar. Lib.* 2.*cap.* 135.

similes Disputationes; immo & Assignationem Punctorum pro Doctorum Inauguratione, & quandoque ipsam Recitationem, fieri consuevisse (*a*).

Quibus ita se se habentibus, potius opinandi locus præbetur, quod ideo hæc omnia in utraque Ecclesia peragerentur, quia forent in loco Urbis satis conspicuo, undequaque accessibili, & etiam a centum & amplius retro annis, Insigni; prout de situ in specie prædicti Monasterii *S. Michaelis*, fatentur Domini Antiani Pisani Populi in libello quodam supplici *Bonifacio IX. S.* Pont., ope *Francisci Cardinalis Pisani Prænestensis Episcopi*, porrecto, quo petunt Abbatiam, per mortem *Domn. Raynerii*, viduam effectam, in personam Domn. *Maximiliani* (alias Vallumbrosani Abbatis) provideri (*b*).

Prudentis itaque Academicarum Antiquitatum indagatoris, hac super re, Decisio sit; & si forsan ei minime repugnare videatur, ut mihi certe

(a) *Lib.* 4. *Doctor. Archiep. Cur. pag.* 111. *&c.*

(b) *Exempl. in d. Arch. S. Michael. ex Auth.*, *olim penes Cannon. de Abramo*.

te minime probatur, Locum illum, quem temere Antiquum Theatrum Scholarum vocitant, brevi paucorum annorum intercapedine, de ſcholis factum fuiſſe vervecum; immo & fædiſſimum inhoneſtatis Emporium, ſtatuat ſic; & locis in Prima Diſſertatione noſtra commemoratis (*a*), controverſum hunc quoque locum adjungat recenſendo....

Primum in præd. Parochia *S. Simeonis ad Parlaſcium*.

Secundum ubi nunc Forum Triticarium eſt.

Tertium, donec Scholæ perficerentur, in Monaſterio PP. Camaldulenſ.

Quartum, ubi ante An. 1486. circiter, Platea Frumentaria fuit; nunc vero Publicum hoc noſtrum Athenæum patet *Duodecim*, non ita pridem; nunc vero *Decem* Auditoriis, ſeu Scholis diſtinctum: quarum una *Magna*; Novem aliæ, non ſine tamen decenti ſpatio, minores ſunt, quæ [quidquid olim in uſu fuerit] noſtra hac tempeſtate, Tribus diverſis horis tam Matutinis, quam Pomeridianis, ut plurimum, totidem Ex-

(a) *Vid. Opuſc. Primum prope finem.*

Excellentiſſimorum Profeſſorum, memoriter Prælectiones ſuas recitantium voce perſonat, & quodammodo ſua ſorte ſuperbiunt.

Ut in patentem, hic, aut illic, Studiorum Sedem, nedum Diſciplinæ, ſed & Lauream conſequendi gratia, frequentiores accederent Alumni, Pœnis pluries irrogatis, adverſus Subditos, alibi, quam Piſis, Studentes, inſequenti anno 1494., Pœna 25. *Florenorum ex iis*, quos *Largos* appellabant, in eos præſcripta, qui per *Alium quemvis Auctoritatem habentem*, veluti, ex Privilegio, nonnulli Comites ſunt &c., Doctorum Inſignibus auderent decorari (*a*).

Ac ne Scholaſticis, ſub ſpe majoris indulgentiæ coram Academico Magiſtratu obtinendæ, contrahendi debita, anſa præberetur, *Coram quocunque Judice, facta prius per Quindecim ante dies, per Notarium Officialium Studii Requiſitione, Civilis Exactio permiſſa* (b). Quodque fuerat antea inauditum, adverſus inſoleſcentem

(a) *Lib. V. Reform. pag. 23. ſub D. 16. Maii* 1494.

(b) *Ibid. pag. 25. ſub D. ult. Auguſti præd. an.* 1494.

item Famulum *Antonii Lucernæ Lusitani*, *Scholastici Rectoris*, a Pisano Prætore, tunc temporis, *Petro Philippo Pandulfinio Florentino*, Criminalis Sententia lata, decretaque Manus abscissio (*a*). Quod adeo quidem ægre Rector tulisse fertur, ut, relicto Substituto *Jo. Th. Grascia Majoricensi*, illico se munere abdicarit, & ad remota se se transtulerit.

Ab his, quæ veluti Rerum summam respiciunt, Ordo nos revocat ad celebriorum in unaquaque Facultate Virorum enumerationem, qui ab ineunte anno 1485., ad quem postremam Narrationem protraximus, ad hæc usque tempora, Pisanas Cathedras moderabantur, in quibus præeligendis, non minus, quam in prælaudatis, Vigilantissimorum Studii Moderatorum, Providentia se prodidit.

§. I.

CUm Pisas non advenisset *Fr. Benedictus*, Christophori Filius, è nobili Florentina Familia *de Pagagnottis* An. 1485., eodem anno Vasio-

(a) *D. Vol. V. pag. 24. & seq.*

ſionenſi Epiſcopatu potitus (*a*), & paucis retro menſibus, ad Res Theologicas, ſimulque Aſtronomicas explanandas, magna cum ſpe atque expectatione deſignatus (*b*): non tam autem explicuiſſet, quam ornaſſet Vir Dominicani Cœtus, atque ipſius Florentinæ Diœceſis, eo potiſſimum tempore, quo ſub *Raynaldo Urſinio Archipræſule* Locumtenentis perſonam geſſit, adverſus incautas *Savonarolæ* prædicationes, columen, atque præſidium ingens (*c*); in deſignati hujus Profeſſoris locum, ex alia inſigni *Minorum D. Franciſci* Familia, in Theologorum Album ſubrogandum alium, nempe *Mariottum Piſtorienſem*, ſapientiſſimi Præſides cenſuere (*d*).

Sategerat *Mariottus* præbere ſe jam Flo-

(a) *Fatr. Sammarth. in Gal. Sacr. Tom. I. P. I.* = *Sebaſtian. Fanton. Caſtruc. in Hiſt. Avenion. Tom. II. &c.*

(b) *Rotul. in* 4. *Reform. Vol. pag.* 210. *&c.*

(c) *L. Cerrach. in Chronol. Sacr. Epiſc. Florent.* = *Necrolog. in Biblioth. Flor. S. M. Novel.* = *Seraph. Razz. in Hiſt. Ord. Prædicat. &c.*

(d) *Catal. Profeſ. in Tabul. Reform. Florent. ſub An.* 1485. *&c.*

Florentinæ Çivitati aliquatenus utilem, privatim Arithmeticam edocendo: cui quidem Magisterio, cum obstarent, & quidem merito, Religionis suæ Præsides, huic obstaculo amoliendo *Landinius*, ope *Cardinalis Papiensis*, validam, sed inutilem operam præstitit; quin immo in pientissimo Cardinali majorem obijcem expertus est, ob invictas rationes in Ejus Epistola exaggeratas, quam profert Erudit. *Angelus M. Bandinius* in Vita ejusdem *Landini* (*a*), atque idcirco ab iis referendis abstineo.

Prælaudato autem Cardinali Papiense, *Jacobo* videlicet *Ammannato*, per Adoptionem, *Piccolomineo*, An. 1479., vita functo (*b*), cœpit convenientiori Magisterio, cui facile superstes ipse *Papiensis* non obstitisset, nempe Theologicæ Cathedræ inhiare: qua demum anno 1485., postquam anteriori anno Florentinorum Theologorum numero fuerat adscriptus,

(a) *In Specim. Litterat. Florent. §. XVI. n. 5. pag. 183. &c.*

(b) *Jo: Albert. Fabric. Bibliot. Med. & Inf. Ætat. Lib. 9. pag. 39., & 61. in verb.* Jacob. Amman. & Jacob. Volater.

ptus (*a*), in hac Pisana Academia, cum Honorario Floren. 25., compos redditus, in re gravioris certe momenti, muneri suo non defuit; non defuit Patriæ suæ, Ordinis, atque Universitatis decori prospicere.

§. II.

B*Altassar Carduccius* Patritius Florentinus, ante Baltassarris Patris sui obitum, *Johannes Franciscus* appellatus (*b*), in ipso juventutis flore, Pisis Vicariam Archiepiscopi dignitatem, simulque ex conniventia *Laurentii Medicei*, qua postmodum in ejus Gentiles abusus fuit, *extraordinariam juris Pontificii Cathedram* adeptus est Anno 1485. (*c*); quamvis omnes ii, qui hactenus de eo scripsere, de his ignari conticescant. In Prima perstitisse ad annum usque 1494. nullus dubito, ex tenore dudum a me reperti supplicis libelli

(a) *Prælaud. Luc. Jos. Cerrach. in Fast. Theolog. pag.* 193.

(b) *Scip. Ammir. in Famil. pag.* 204.

(c) *Rotul. Unit. d. an.* ⁒ *Monum. Societ. Corpor. Christi pag.* 10. *Mss. ap. Fratr. S. Gulielmi, vulgo Florentin.*

Pisanorum Procerum, qui de mutato Regimine, sub *Carolo VIII. Galliarum Rege* gestientes, sub die 28. Novembr. præd. an. 1495. stil. Pis., Flor. autem 1494. *Raphaelem Riarium S. Georgii Diaconum Cardinalem, & Archiepiscopum Pisanum*, Romæ degentem, de *Carduccii* remotione efflagitant ibi = *Unum rogamus & obsecramus R. D. U., ut placeat sibi nos, & Clerum Pisanum ab isto Vicario Florentino nobis, & Clero Pisano inimico liberare postquam placuit Altissimo, & Serenis. Majestati Regis nostri, nos a dura servitute ceterorum Florentinorum eripere &c.* (*a*) In publico autem Legendi munere, saltem usque ad annum 1497. perstitisse, ubi Pisanum Gymnasium interim detentum fuit nullum plane dubitandi locum relinquunt, & inita solemniter pax inter ipsum, & *Fernandum Cutignum Lusitanum*; & objurgatoriæ quædam Epistolæ Gymnasiarchorum ad Ipsum intermedio hoc tempore, datæ, occasione jurgii inter eumdem, & *Franciscum Pepium nostrum*, & *Jo. Lope*-

tium

(a) *Lib. I. Partit. Pisan. Commun. a an.* 1495. *pag.* 46. *in Public. Archiv. Civit.*

tium Hispanum (*a*); & Patentes quoque Litteræ, quas, *Carduccio* Compromotore, sub die 14. Mens. Jun. An. 1497., occasione sui Doctoratus, de more nactus est *Hieronymus Calvius Pratensis*; & ipse postmodum Pisana Lectura potitus, ut inferius adnotabitur (*b*).

Post hæc, Publicis Patriæ suæ Muneribus, atque Legationibus functus, iisdemque non satis feliciter atque ex voto animi sui cessis, utpote de Patriæ Libertate nimium solliciti (*c*), Florentinis Laribus ultro extorris, lautioribus utique conditionibus Patavium concessit, ibique Publici Magisterii Officio cohonestatus fuit. Quoniam vero, circa Epocham hujus Conductionis, dissentientes ipsos Patavinos Scriptores intueor, inter quos *Episcopus Thomasinius*, qui bis de Sacrorum Canonum Lectione, ab Eo cum plausu obita, nempe sub

---

(a) *Ex Lib.* 4. *Deliber. Offic. Florent. Reform. pag.* 69. *& Memor. pag.* 34. *sub an.* 1489.

(b) *Ex Catal. Universit. Professor. an.* 1499.

(c) *Jacob. Nard. Lib. V. Histor. Florent., & Scip. Ammir. præd. l.*

Anno 1515., & rursus sub anno 1523. meminit, quo ei *M. Mantuam Bonavidium* Collegam datum scribit (*a*). Primæ huic Epochæ oppono quid *Petrus Delphinius* in Epistola *Georgio Pisano*, Equiti meritissimo, & Patavini Gymnasii Præfecto data, sub anno 1517., scribat (*b*). Commendat eum primo pro Patavina hac Cathedra hisce præcisis verbis:

Fecit me per Litteras certiorem Paulus Justinianus Eremita cupere Baldasarem Cardutium Civem Florentinum, qui mihi est apprime cognitus, conduci ad Patavinum Studium Salario Annuo. Est autem in U. J. Doctor Eminentissimus, docuitque Pisis per complures annos stipendio publico. Et quoniam demandatum tibi Studium Patavinum dudum accepi, Commendo ipsum Tuæ Magnitudini &c. & infra

Sit itaque, Eques præstantissime, tum meo nomine, tum longe magis ipsius merito Cardutius noster commendatus. Vale ⥊ Ex S. Mich. Murani. Deinde sub anno 1518., sic *eidem Car-*

(a) *Lib.* 2. *Gym. Patavini cap.* 3. & 4. *Lib.* 4. *in Chronol. p.* 40.

(b) *In Lib.* XI. *Epist.* 49. *sub d.* 23. *Octobr.*

Carduccio voti sui compoti effecto, ex eodem Monasterio, ita rescribit (*a*) *Prosit tibi, Doctor eximie atque amice Honorande ad salutem utriusque hominis, prosit itidem omnibus, qui Tui sunt erudiendi magisterio, quod hesterna die totius Senatus consensu Munus tibi demandatum est, decreti siquidem fuerunt pro stipendio Primæ Lecturæ Quingenti Floreni ejus monetæ &c. &c.*

Ab hoc utique certiori termino, non solum Pontificia, sed & Civilia Jura enucleasse, testis omnium locupletissimus *M. Mantua*, testatur in sua Virorum illustrium Epitome (*b*), ubi in locum *Antonii Francisci de Doctoribus*, illius nempe, qui Additiones ad *Abbatem Panormitanum*, & *Alexandrum Imolensem*, doctissime exaravit (*c*), se se in publico docendi munere *Carduccio* junctum fuisse narrat, *licet fere numquam cum eo congressum*. Hinc autem quod, & ab æquali Scriptore, & ab aliis etiam, Patavinus etiam Juris Civilis Lector

(a) *Prælud. Lib.* XI. *Epist.* 80. *sub d.* 13. *Octobr. d. an.* 1518.

(b) *Sub num. marg.* 55.

(c) *August. Font. Part.* 1. & 6. *Bibl. Legal.*

agnoscatur (*a*), credibile est, intermedio hoc temporis intervallo, ampliori aliquo stipendio auctum, prout in præallegata Lege Conductionis fuerat expressum.

Privatim quoque illud Venetiis, postquam Patavio discessit, Patriciis quibusdam explicuisse, *Michael Poccianti* memoriæ mandavit (*b*). Caussam autem Patavinæ Lecturæ, & ejus Urbis deserendæ, communiter assignant mærorem ex amantissimæ Conjugis *Aloysiæ Guidettæ* morte conceptum; quem ipsemet Patavii duplici Inscriptione testatum reliquit; in Æde videlicet *Servorum B. M. V.*, & in Templo *D. Augustini*, ut apud *Salomonium* videre datur (*c*). Hæc vero, aut altera extiterit caussa, illud certum quod, ubicunque constitit, cum hac privata domestica jactura, communem quoque Florentinæ Libertatis, quam imminentem verebatur, amissionem deplorans, quo-

(a) *Nicol. Papad. lib.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 21. = *Guid. Pancir. de Clar. ll. Interpret. lib.* 3. *cap.* 53. *n.* 70. = *Scip. Ammir. in Fam. pag.* 254.

(b) *In Catal. Script. Florent. pag.* 22.

(c) *Inscript. Patav. pag.* 50. *&* 472.

quoniam in Superos ei minime licitum, in *Mediceos* aliosque hujus Factionis nobilissimos Cives, arma, cædes, internecionem minitans excandescebat. Quod, ut ei peragendi amoveretur occasio (erat enim magis armatæ, quam Ecclesiasticæ aut Togatæ militiæ natus, & solum ab iis Domesticis, quibus ei parendi necessitas, Litteris, & Jurisprudentiæ, ab ineunte Adolescentia mancipatus, ut rei familiaris angustias amplificaret) Ei, cum eodem malesuadæ seditionis spiritu, Florentiam reverso, ne quid interim gravius aggrederetur, prudentia memorabilis Vexilliferi *Nicolai Capponii*, opportuna ad Regem Galliarum Legatio demandata fuit (*a*). Ibi quoque tamen non destitit in Mediceum Nomen oblatrare; odium, & invidiam concitare; sed incassum omnia. Eos, quos Patriæ Tyrannos appellabat, ope *Clementis VII.*, *Carolique V.*, denuo rerum potitos; immo in Honorificentiori longe loco collocatos, ægre intueri coactus est; & *Franci-*

(a) *Paulus Jov.lib.25. Histor.* = *Ammirat. loc. præcit.*, & *Histor. Florent. P.* 3. = *Jacob. Nard. lib.* 8.

ſcum Carduccium Agnatum, non multo pridem Vexilliferum, capite damnatum ingemiſcere (*a*); ſeque ſuo dolori incolumem ſervatum, uſque ad extremam ſenectutem, ſenſit invitus: qua neſcio potius, an ægritudine animi, in eadem Gallica Legatione, anno 1530. occubuit; relicto unico maſculo, Avito nomine, *Nicolao*, & unica Fœmina, nomine *Catharina*, nobili Viro *Chriſtophoro Baldovinetto*, matrimonio juncta (*b*); atque ex Operibus, relicta brevi quidem ſed nervoſa *Oratione* apud ipſum Galliarum Regem habita (*c*) *Conſultationum* etiam *Volum. I.*, ubi plura a prælaudato *Petro Delphino* commendata (*d*); *Commentariis* quoque in *Tit. D. de Legibus & in Tit. Decretal. de Conſtit.*, & *de Judiciis* (*e*).

§. III.

(a) *Prealleg. Jov. lib.* 29.
(b) † G. 110. 18. 84.
(c) *Scip. Ammir. ubi ſupra*.
(d) *Lib.* 8. *Epiſt.* 97. & *lib.* 9. *epiſt.* 14. = *item ap. Marten. & Durand. tom.* 3. *pag.* 1168. & 1170.
(e) *D. Papad. Hiſt. Gymnaſ. Patav. lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 21. *n.* 106.

§. III.

J*Ohannes Sadoletus* Jacobi filius, nobili loco Mutinæ natus anno 1440., Civilis Jurisprudentiæ, in qua fuerat apprime versatus, in Ferrariensi Gymnasio profitendæ, paulo post initium auspicatissimi Regiminis *Herculis I.*, & ipse initium fecit (*a*). Assiduę, quamdiu vixit, Jura in ea Universitate enucleasse facile desumpseris ex iis, quæ *Claris. Borset.*, Patriæ amantissimus, sub Anno 1473. in Ejus Elogio prodit; & quæ Ipsi *Criticus Personatus Jacob. Guarrinus* non audet inficiari (*b*) Bononiæ autem versatum quoque fuisse, & instituendæ in Legibus Juventuti, sedulam navasse operam, *Guido Pancirolius* memoriæ prodidit (*c*); sique *Andreæ Barbatiæ Siculo* suffectus in eo munere fuit, ut traditum fuisse testatur, constat tempus hujus Bononien-

c v sis

(a) *Lib. I. P. II. Hist. Ferrar. Gymnas.* ⇌ *Dom. Man. Tom.* 13. *Sig.* X. *p.* 118.

(b) *In Supplement. & Animadvers. edit. Bonon. an.* 1740.

(c) *Lib.* 2. *de Clar. &c. cap.* 114, & 129.

sis Magisterii, statui debere circa annum 1480. cum ipsomet *Pancirolo* teste, paulo minus Quadriennio, *Alexandro Tartagno* supervixerit *Barbatia*, & anno 1477. *Tartagnius* obierit (*a*).

Verum alibi ne professus fuerit, & quando *Sadoletus*, non admodum anxius inquiro: de eo in præsentiarum sollicitus, quod ab ipso *Borsetto* prætermittitur; & ex publicis Academiæ nostris Monumentis exploratum est, per Triennium ad minus, ab anno 1485., cum Honorario Florenorum Quadringentorum, Pisis fuisse professum (*b*). Neque impune defraudandum a nobis foret ingenti hoc lumine Athenæum nostrum; cum enim *Jo: Sadoletum* ipsimet adsciscimus, Virum adsciscimus, & asserimus, ex nobili Fœmina *Francisca Malchiavella*, Genitorem aliorum illustrium Ferrariensium Professorum, quos alibi celebrat idem Clarif. *Borset.*,

(a) *Ex Epitaph. ibid. relat. cap.* 112. — *Clarif. Georg. Vivian. Marchef. Bonaccurf. in Monum. Gall. Tog. lib.* 2. *cap.* 2.

(b) *Memor. Reform. & Lib.* 4. *pag.* 35. *& Rotul. an.* 1485. *& seq.*

ſet. [*a*] & quod maxime in ejus laudem vergit, *Jacobi Sadoleti* Parentem, *Theologi*, inquit nimis parce & jejune, *Forſterus* [*b*]; addendum ſiquidem fuerat *Jacobi* Philoſophi, Philologi &c., ex intimo *Leonis* X. in conſcribendis Epiſtolis adminiſtro, *Carpentoractenſis Epiſcopi*, & deinde *Sacræ Rom. Eccleſ. Cardinalis* meritiſſimi, eruditiſſimique, ut edita Typis Opera patefaciunt [*c*]. Aſſerimus pariter Virum plurium utiliſſimarum Legum Explanatorem, veluti eſt text. in *L. Hæc Verba* 3. *D. de Legat.* I., in *L. Quod te* 5. *Dig. de Reb. cred.*, nonnullorum quoque Capitum ex *Tit. D. de Reb. dub.*, & *de Confeſſ.* [*d*]; in Foro etiam Conſultiſſimum, ut præſertim graviſſimo *Bartholom. Soccini*, *Ludovici Bolognini*, *Joſephi Ruſtici*, *M. Antonii Peregrini* teſtimonio

[a] *Par.* 2. *Lib.* 2. *in verb.* Hercul. & Alphonſ.

[b] *Valentin. Lib.* 3. *Hiſtor. Jur. Civ. cap.* 36.

[c] *Thom. Popebl. in Cenſur. &c.*

[d] *Tom.* 2., *&* 4. *Repet. Civil.* = *VVolf. Freyn. in Elench.* = *Konig. & Geſner. in Bibliot.* = *Jo. B. Zilet. in Indic.*; *Fontan. &c.*

comprobatur [*a*]; Virum denique ea Vitæ ac morum integritate, *eaque Juris Civilis, ac Pontificii ſcientia, ut judicari haud facile poſſit utrum melior eſſet, an prudentior*, ut verbis utar elegantis, atque ſinceri Biographi *Antonii Florebelli* [*b*]: quibus juvat adnectere Elogium ab amantiſſimo Filio *Jacobo Cardinali*, in exteriori pariete majoris Mutinenſis Templi, Forum verſus, appoſitum, quod ita ſe habet.... *Joanni Sadoleto Jacobi filio Juris utriuſque ſcientia omnibus plane antecellenti, memoria incomparabili, ingenio præſtantiſſimo, fide, religione, temperantia ſupra vel eximiam laudem, ad uſque dies extremos incolumitate perpetua, & integra provento, Jacobus Sadoletus ob pietatem, ac reverentiam, & quod ex eo nihil unquam adſpexit, quod imitando non optime, ac temperatiſſime ſe gereret, caro apud cives, memorato apud exteros, optimo patri.*

[a] *Conſil. Alex. Tom.* 4. *Conſ.* 53. ⇌ *In fin. Comment. ad S. C. Trebell.* ⇌ *in Tract. An, & quando Liberi &c. lib.* 3. *cap.* 5. ⇌ *In Tract. de Fideicom. Art.* 25. *n.* 23.

[b] *In Vit. Jacob. Cardin. in calc. Epiſt. Edit. Lugd. an.* 1550.

patri vita functo benemerenti, & Franciscæ Malchiavellæ ejus unicæ uxori, matri suæ carissimæ viventi, & sibi fecit. Vixit pater annis LXXI. & obiit de anno MDXI. Locus, decreto Collegii Sacerdotum datus, Senatu, populoque Mutinensi procurante.

§. IV.

JO: *Victorius* Equitis *Thomæ de Soderinis* Filius; ac *Petri Vexilliferi*, & *Francisci Cardinalis*, cujus elogium, utcunque, alibi dedimus [*a*]; Frater natu minor [*b*], utpote natus anno 1460. [*c*], ab omnibus fere, qui de Eo monumenta typis ediderunt [*d*], tamquam excellens Jurisperitus, & Advocatus audit; a ne-

[a] *Opusc. VII. §. 13., cui Tit.* Elogia &c.

[b] *Jacob. Gadd. in Elog. 22. pag. 179. &c.*

[c] *Scip. Ammir. de Famil. Florent. pag. 133.*

[d] *Prælaud. Gadd. & Ammirat. ibidem — Claris. Can. Salvin. in Vit. Lud. Martell. apud Man. Tom. XIII. Sigil. 3., & Anton. de Nerl. Tom. XVI. Sig. 2.*

nemine tamen ex his, tamquam Pisanus Antecessor; vel quia tale munus ab Ipso obitum, in tanta hactenus Rerum nostrarum caligine, eos latuit; vel per summam injuriam, parvi pependerunt.

Tyronibus in Jure Civili, in hac Pisana Universitate, erudiendis Anno 1485., cum exiguo 25. Florenorum Honorario admotus, per Quinquennium summo cum plausu Spartam hanc ornavit; quo transacto, occasione Prioris in Patria Magistratus ineundi, temporariam dimissionem nactus abiit [a]; sed huc denuo rediit, nunc *Francisci Pepi*, nunc celeberrimi *Philippi Decii* Collega non inglorius. Consultationi ipsius *Decii*, ex ordine 542., in controversia circa Præsentationum materiam, cum *Hormanotio Deto*, subscribendo pondus adjecit. Sed hoc, revera, aliquanto post accidit, cum scilicet Patriam Florentinam Urbem reversus, Patrocinandis Litibus, gravioribusque Reipublicæ Ministeriis operam dabat. Prudentiam, Sagacitatem, Fidem, quam, ex intimo commercio cum *Pla-*

[a] *Lib.* 4. *Rer. Stud. in Arch. Reform. ad An.* 1490. *pag.* 148. 150.

Platonico Ficino, potuit addiscere [*a*], ex eo facile deprehendas, quod eidem commissæ difficillimæ Legationes ad Regem Catholicum, ad Cæsarem, ad Episcopum Gurgensem [*b*]; quodque in Generalibus Comitiis Florentiæ habitis an. 1528., è Sexaginta Civibus, unus inter Quatuor delectus, quibus Suprema Dignitas committeretur [*c*]. Animositatem, vel in ipsa senectute, in Eo nemo non fateatur, cui notum, ex Quatuor Florentinis Civibus, unum pariter fuisse, qui ceteris Populi Florentini Insignibus posthabitis, Augustissimum *Jesu Christi* nomen, Ostio Principis Palatii apponendum curarunt [*d*]. Eodem anno, quo postrema hæc contigerunt, nempe anno 1528., ætatis annorum sexaginta, & octo, ex hac vita migravit, ex *Dianora Nerlia* ejus uxore relictis Filiis

[a] *Lib. XI. Epist. ad Martin. Uran.*

[b] *Franc. Guicciard. Lib. 5. Histor. Italic. sub An.* 1512. = *D. Ammirat. in Famil.*, & *lib.* 29. *Histor.* = *Paul. Jov. in Vit. Leon.* X.

[c] *Id. Ammirat. ibid. pag.* 133.

[d] *Item lib.* 30. *Hist. pag.* 378.

lii [*a*], *Thoma*, de quo nos alibi; *Margharita Aloysio Martellio* matrimonio juncta; & *Anna Aloysio Petri Rodulphi* nuptui data, cum ampla dote scutor. Decem millium Aureorum, a Patruo *Francisco Cardinali* splendide constituta, ut in Magnifica Editione Vitæ *Vexilliferi Petri* legitur, ubi Duas Epistolas, Italico sermone exaratas, *ad hunc Nostrum*, ab eodem Eminentissimo Principe datas, licet Eruditis intueri [*b*]; & optandum mehercle, quod aliquando prodeant plures Latinæ, ab eodem *Jo. Victorio* exaratæ, quæ, si vera refert *Negrius*, Florentiæ delitescunt.

§. V.

Ex nobili Etruriæ Oppido, quod in Colle Vallis Elsæ surgit, & ab ejus augustissimo Patrono, *S. Geminiani* dicitur [*c*], ortum duxit *Matthæus Neruccius*, de quo nunc, juxta

[a] *Præcit. Salvin. in præd. loc.*, & *in Fast. Consul. in Elog.* Hugolini &c.

[b] *Edit. Patav. an.* 1737. *pag.* 123., & 161.

[c] *Laurent. Pesciolin in Ms. Histor. d. loc.*

juxta Conductionum seriem, agendum est. Id Adolescentiæ tempus, quod Pisis in Jurisprudentiæ studiis transegit, qualis quantusque Jurisconsultus fuisset futurus, indicio satis certo declaravit; præsertim vero cum anno 1474. demandatum sibi Lectoris Extraordinarii munus, cultioribus Adolescentibus, pro Festis Diebus, demandari solitum, summa omnium approbatione sustinuit [*a*].

Non illico tamen, expleto Pisis primo hoc suorum studiorum curriculo, Magistrales altiores Cathedras sibi conscendendas duxit; sed auscultandos etiam Clariores Juris Interpretes, qui Patavii florerent, ibique sumenda Doctorum Hominum Insignia: quod adeo cum plausu, Die 29. Martii anno 1479. contigit, ut a Communitate Geminianensi, fuerit ob id honorificentissimo præmio affectus [*b*].

Immo vero funditus didicita; atque, extra ordinem, aliis tradita Jurisprudentiæ præcepta, in Foro reco-

[a] *Lib. Memor. d. an.* 1474. *in Off. Reform. pag.* 11.

[b] *Cod. Bernar. Paganelli Gemin. Potest. sign. E. fol.* 298.

coquenda & ad Praxim aptanda censuit; & hoc utique, per plures annos, est exequutus. Anno igitur solum 1485., annuentibus iis, quibus hæc Athenæi cura commissa, se Publicum Institutionum Civilium primum; deinde vero, deficiente *Vincientio Magnani de Lambertis*, alias, *de Lambertellis Arretino*, qui per hæc tempora, *Sexti*, & *Clementinarum* explicationi operam dabat, se se æque expertum Sacrorum Canonum Præceptorem *Neritius* in hac Universitate protulit [*a*].

Turmatim ad ejus Rostra convolatum; neque tyrocinia, quæ, in hoc Ordinario Docendi genere, Pisis jaciebat, impedimento fuere quominus in solemnibus Doctorum juvenum Inaugurationibus, Eo Promotore plures uterentur [*b*].

Non destitit interim Litigantibus in Foro, doctissimis in Jure editis Allegationibus, subsidiariam opem suppeditare; immo & pro summo Romanæ Ecclesiæ Antistite, super ardua

[a] *Rot. Civil. & Canonic. Profess. præd. an.* 1485., & 1489.

[b] *Lib. II. Doctor. in Archiep. Tabular. pag.* 228. & *seqq.*

ardua Concilii Pisani causa, ad graviſſima *Decii* Objecta, *Nerucio* reſpondendi difficillimum munus injunctum.

Duo, sua adhuc ætate, extitiſſe Volumina Conſiliorum, teſtatur Geminianenſium Rerum Conditor *Jo: Vincentius Coppius* (*a*); è quibus maxime commendatas reperio 51., & 112. Conſultationes (*b*). Exterorum quoque calamis, veluti *Zilettus*, *Geſnerus*, atque *Fontana* eſt (*c*), præter Ipſius *Repetitionem* in *Tit. de Teſtamentis*, ſignanter ab eodem *Coppio* commemoratam. Commemoratione quoque digna viſa ſunt Ejuſdem *Commentaria in ſecundum Librum Decretalium*, nempe *in Rubr.*, *pleraque Capita de Sententia*, & *Re Judicata*, *de Appellationibus*; & *in Tit. de Conſanguin. & Affinit.*, ex Quarto earumdem Decretalium Volumine; quæ

(a) *In Tract. de Homin. Illuſtr. pag.* 201. *&* 228. *& in Addit. pag.* 157. 218. 394. *&c.*

(b) *Hieronym. a Summar. in Miſcell. Academic. pag.* 9.

(c) *Zilet. pag.* 29. *&* 34. — *Geſn. & Font. in Biblioth. v.* Matth. &c.

quæ & in ampla *Repetentium Canonicorum* Collectione leguntur (*a*).

Inter Mss. Philologica recensentur *Lect. Moral. Epist.*, *& Eleg.* in laudem *Pontii Siculi*: quæ tamen accuratius inspiciendum an ad Juniorem aliquem ex præd. Familia pertineant. Floruit enim Clarissimis aliis quamplurimis Viris *Neruccia Familia Geminianensis*, uti Nos, ubi fuerit ad recentiora tempora deventum, Academico huic argumento inservientes, subnotabimus.

Unum interim silentio nequaquam præteribo, ipsius *Matthæi* Filium *Petrum Antonium*, quem in Præfatione ad celeberrimum Virum *Antonium Maliabechium*, sub persona conterranei Oratoris, declamans sic extollit (b) = *Quis non admiretur ex hoc Petrum Antonium a tam eximio Patre non degenerantem? Hic a Serenissimo Cosmo æqua Mercede Pisas accitus primas in Jure Canonico interpretando partes, sine controversia consecutus est* &c. &c. At de Hoc opportunius alibi.

§. VI.

(a) *Tom.* 4. *&c. Edit. Junct. an.* 1587.
(b) *In Præfat. ad Annal. Geminianens. pag.* 3.

§. VI.

EX nobili Pisana Familia *de Cesano*, quæ ab antiquo Pago Pisani Territorii, hujus nominis, originem duxit, ortus *Leonardus*, post plurima Honestatis doctrinæque specimina præbita, Anno 1485. (*a*), Publica Cæsarearum Institutionum Cathedra, cum stipendio Flor. 30. potitus est: auspice potissimum *Bartholomæo Soccino* Pisanorum amantissimo, qui & pro ipsius Reconductione, cursu Triennali ejus Lecturæ jam exacto, auctoritatem suam non renuit efficaciter interponere (*b*).

Patrem habuit *Leonardus Michaelem Angelum de Cesano* (*c*), virum ea militari virtute conspicuum, qua & *Gantes* olim, quamvis infelici exitu præstitit (*d*), atque ob id, in difficillimis Reipublicæ temporibus, Li-burni

(a) *Memor. Reform. Florent. sub d. an.* 1485. *Pis.* 1486.

(b) *Ibid. pag.* 11.

(c) *Lib.* 5. *Partit. Pisan. Commun. pag.* 69. & *Bach. I. d. an. p.* 21.

(d) *Dominic. M. Man. ex Marangon. Tom. XII. Sig.* 12. *pag.* 121.

burni Præſidio deſtinatum, licet poſtmodum, eo ægrotante, *Jacobus Mariani Papponii filius*, in id Muneris, publico fuerit decreto ſubrogatus (*a*); Avos autem, Proavos quamplures habuit vel ab anno 1297. Supremi Magiſtratus dignitate perfunctos (*b*). Sero & Ipſe, ut inde colligitur, eo honore decoratus fuit; intermedio ſiquidem tempore inter Piſanam Lecturam, Urbanoſque Magiſtratus, conſtat ab Urbe aliquantiſper abfuiſſe, pro *Gerardo Aragonio de Appiano* Plumbini Domino, Vicariam Dignitatem ibidem aſſequutum, inſtantiſſimeque pro temporaria quadam indigentia, a ſummis Reipublicæ Moderatoribus revocatum, non ſine bona ejus Principis venia: ad quem extat honorifica admodum Antianorum Epiſtola, in qua ſimul de excuſſo Florentinorum jugo eum certio-

---

(a) *Bach.* III. *ſign. C. ad an.* 1486. *pag.* 12.

(b) *Catal. Nobil. Famil. in Arch. Piſ.* ⇄ *Franc. Paul. & Bernad. Marang. in Chronic. Piſan. Edit. in Continuat. Murator. Oper. de Scriptor. Italic. Volum.* 1.

certiorem reddunt data die 21. Novembr. an. 1495. (*a*)

Dum Pisis moram traheret *Leonardus*, nunc Advocati Pisanæ Communitatis, nunc Assessoris, nunc Judicis, nunc a Secretis munia explens (*b*), ut sibi emolumentum & decus amplissimum comparavit, ita Posteris ingens ad gloriam Calcar admovit.

Etsi plures exaraverit, de duabus præcipue *Leonardi* Consultationibus; & earum quidem una ad *Notarii famam a falsi crimine abstergendam* Typis edita; alia vero super hoc Themate = *Quomodo dicatur Venditio perfecta, quando Partes dicunt, Faciemus postea Instrumentum*, penes *Jo: Baptistam Zilettum*, & *Augustinum Fontanam*, mentio habetur (c); *Soccinoque Juniori* Consulenti pondus sua subscriptione adjecisse patet ex *Volum. I. Cons.* 128.

Ex eadem Gente floruit *Philippus*, de

(a) *Bach.* 3. *sub eod: sign. C. pag.* 36. *d. an.* 1495.

(b) *Ibid. pag.* 21. *B.* 2. *pag.* 169. 176. *B.* 3. *pag.* 64. 66. 88. 114. 128. *&c.*

(c) *Zilet. in Ind. pag.* 59. *a terg.* = *Font. Part. I. in verb.* Ces. Leonard.

de quo in celebri Pisãno Sepulcreto monumentum habetur tamquam Medico *Caroli* illius *Malatestæ Ariminensis*, qui lapidis ictu periit (*a*). Subsequenti autem Seculo, militari virtute præcelluit *Antonius*, *Ordini Piorum Militum* a S. Pontifice Pio IV. adscriptus (*b*); in Litteris vero humanis, maxime præstitit *Gabriel*, cui nitidum Epigramma inscriptum voluit *Jo: Baptista Pegna* (*c*); & quem quanti fecerit Vir doctiss. *Claudius Tholomejus* Patric. Senens., pluribus ad eum datis Epistolis, palam fecit (*d*); & præsertim eruditissimo Dialogo, vernacula lingua conscripto, in quo, de speciali nomine vulgari Linguæ dando, differitur; quem ab ipsius nomine *Cæsanum* inscripsit (*e*). Circumfertur etiam, sub ipsius Cæsani nomine, *Thesaurus conceptuum Poeticorum* Venetis Typis evul-

(a) *Franc. Guicciard. Hist. Ital. lib.* 7.

(b) *Bulla Colleg. &c. Edit. Rom. an.* 1560.

(c) *Lib.* 3. *Carmin. &c.*

(d) *Lib.* 5. 6. 7.

(e) *Edit. Gabr. Giolit. an.* 1555. *&c.*

evulgatus (*a*); & quæ magis ejus Doctrinam patefacit, *Versio Moralium Aristotelicorum*, de qua in Bibliotheca sua *Gesnerus*, ubi subdit quod *Ciceronem*, & *Bocatium* oppugnavit.

Defecit autem Pisis, non multo post Nobilis hæc Familia, ejusdemque Immobilia (inter quæ olim ampla Domus, postea ex usu æstivo Ecclesiasticorum Alumnorum; *Seminarium Vetus* appellata) in aliam *Nobilem Familiam de Ratì*, transierunt, una cum Jure Veteris *Ecclesiæ Urbanæ S. Petri in Palude*, quæ nunc *Oratorium Sarcinatorum* est (*b*).

§. VII.

QUa ætate florebat *Benedictus Coluccius*, nomen Eruditis maxime notum: quem eloquentissimum Virum *Mercurii Comitem*, eleganter nuncupat *Ficinus* (*c*), ex illius Schola profectus cæpit Philosophicis Disciplinis operam dare *Antonius Detti*

(a) *Per Evangelist. Deuch. an.* 1610.
(b) *Catal. Benefic. &c. in Archiep. Pisan. Cur.*
(c) *Lib. I. Epist. ad Laurent. & Julian. Medic.*

Pistoriensis, *Desiderii* filius, qui postmodum, sub anno 1485., Cathedrae Dialecticae in Pisana Academia potitus (*a*), postquam ingenii sui periculum fecit, exilitate Stipendii, quod Florenos 20. in annum non excessit exanimatus, in Patriam remeandum è re duxit sua, ubi Vexilliferatus, aliorumque Urbanorum Munerum honore egregie functus (*b*), Posteris suis stratum ad Dignitates iter, virtute sua, reliquit. Neque dubium quod ad eas pervenissent, nisi instar plurimarum, Familia haec defecisset.

Qui magis ad Litterarias, immo ad Academicas res pertineat, videtur esse *Desiderius Antonii*, qui in eadem Pistoriensi Civitate, ad Reformanda *Sapientiae* Jura, una cum *Francisco Dominici Fortisguerrae*, *Johanne Pagnotii Pagnotii*, & *Jo: Maria Gualfridi Taviani*, sub an. 1530. fuit honorificentissime deputatus (*c*): Refor-

(*a*) *Rotul. Pis. Univ. d. an.* 1485. *in Florent. Tabul. Reform. &c.*

(b) *Mich. Angel. Salvius Histor. Pistor. Tom.* 3. *Lib.* 19 *p.* 80.

(c) *Id. Sal. Tom.* 3. *Lib.* 20. *pag.* 127.

formatio siquidem Legum, nedum summam peritiam in Reformatore desiderat; sed & integritatem summam, ne sibi, aut suis Leges accommodet: quod a nonnullis *Triboniani* vitio versum est, ut in absolutissimo *de Imperatore Justiniano* Commentario, *Hubertus Giphanius* sapienter animadvertit (*a*).

§. VIII.

L*Ucas de Corsinis Bertoldi Florentini Vexilliferi Filius* (*b*), a Pisana Juris Civilis Cathedra, majorum Dignitatum initium auspicari, non inopportunum duxit. Contigit hoc eo tempore, quo ob prænarratas caussas, Studium partim Prati, partim vero Pisis detentum fuit; anno videlicet 1486. (*c*), ejus vero ætatis 24., utpote nati die 18. Octobris anno 1462. (*d*). Cum autem Theoretica hæc

(a) *Edit. Argentorat. an.* 1629. *pag.* 21. *&c.*

(b) *Scip. Ammirat. Lib.* 23. *ad An.* 1440.

(c) *Memor. Reform. sub præd. an.*

(d) *Lib. Approvat. ætat. in Arch. Secret. S. C. M. pag.* 193.

ſtudia faciliorem ad Praxim, tutioremque ſternant viam, in Foro etiam ſe ſe exercuit; & adeo feliciter, ut in celebriorum ejus ætatis Advocatorum Cenſu, Jure optimo, notetur (*a*). Hinc & Priorum ſellas pro dignitate occupavit (*b*); meruitque eo tempore a *Carolo VIII.* Galliarum Rege, cum aliis Collegis, Jus Avito Stemmati, duo Aurea Lilia inſerendi, & Crucem Hieroſolymitanam (*c*). Piſtorienſem Præturam quoque cum laude adminiſtravit (*d*); & quod eſt ipſi honorificentius, *Jo. Cavalcantio*, de quo ſuperius actum, Collega datus, ad gratulandum *Ludovico Sfortiæ*, qui, mortuo *Jo. Galeatio*, in Mediolanenſem Ducatum irrepſerat (*e*) pro Florentina Republica Nun-

(a) *Joſ. Ruſtic. in Comment. ad L.Cum Avus Dig. de Condit. & Demoſtrat.* = *Philip. Nerl. Comment. &c. Lib.* 4. *pag.* 74.

(b) *Præcit. Scip. Ammir. Lib.* 26. *ad An.* 1494.

(c) *Exempl. Ms. apud erudit.* Jo. di Poggio Baldovinetti *ſub D.* 27. *Novemb. an.* 1494.

(d) *Mich. Ang. Salvius Tom.* 3. *Hiſtor. Lib.* 19. *pag.* 69. *an.* 1509.

(e) *Franc. Guicciard. Lib. I. Hiſtor. &c.*

Nuncii partes egit, ut idem *Scip. Ammirat.* memoriæ mandavit. De Equeſtri Titulo ab Eo obtento ampliſſimoque Comitis Palatini Diplomate, cum facultate promovendi ad Doctoratus gradum &c. meminit in Hiſtoria Genealog. Abbas *Gamurrinius* (*a*), penes quem fides ſit. Nobis ad rem Litterariam quod attinet, ſatis ſit, nullo quidem alio Scriptore, ſed certa noſtrorum Monumentorum luce præeunte, adnotaſſe Piſanam Cathedram, in prima juventa, conſcendiſſe, ex qua potuit veros, *Docendo*, Doctores conſtituere; aliarumque ſplendidiorum Dignitatum curriculum ſtrenue confeciſſe, donec Anno 1511. Die 3. Novembris, humanæ vitæ curſum implevit (*b*), tumulatus in Suburbana *S. Caii* Eccleſia, in Avito illuſtrium Majorum ſuorum Sepulcreto (*c*).

(a) *Volum. 3. pag. 166.*

(b) *Memor. in Archiv. Flor. Medicor. & Pharmacop. ſub d. an.* 1511.

(c) *Ignat. Urſulin. in Elog. Petri Cardin.* = *Jo. Bapt. Caſot. in Monum. Hiſtor. S. M. Prun. p. 1. pag. 225. &c.*

§. IX.

QUi mihi Anni 1487., & proxime subsequentium, Scholasticos actus evolventi, præ ceteris, obviam fit Cæsarearum Institutionum Antecessor *Hormannoctius Detus* est, [*a*] ex *Thoma* Guidonis filio, Florentino Professore, Florentiæ natus anno 1463. [*b*] *Clementis VIII. S. Pontificis* Maternus Avus, *Sylvestri Aldobrandini* celebris J. C., alias a nobis commemorandi Socer; atque unus ex illustribus Majoribus *Jo. Baptistæ Deti* Sacræ Rom. Eccles. *Cardinalis*, atque alterius *Jo. Baptistæ*, *& Alexandri Anglonensium Episcoporum*, aliorumque Virorum in omni virtutis genere præcellentium [*c*].

Quo-

[a] *Memor.Reform.suban.*1487.1491. *&* 98. ⇌ *Lib. V. Rer. Stud. pag.* 52. *&c.*

[b] *Lib. Approbat. ætat. in Arch.Secret. S. C. M. pag.* 31. ⇌ *Rot. Stud. Florent. in Arch. Columbar. Cod.* 8., *atque ex eo Ang. M. Bandin. in Specim.Litter.Florent. Tom.* 1. *pag.* 181. *& seq.*

[c] *Clar. Salvin. in Fast. Consul.* ⇌ *Egnat. Ursul. de Florent. Pontif. & Cardin.* ⇌ *Ab. Ughel. Tom.* 7. *Ital. Sacr. in Ser. Anglon. &c.*

Quoniam vero Decora hæc extrinseca sunt, quæque illitterato cuilibet possunt etiam obtingere, prosequor ea breviter, quæ propria Ipsius sunt.

In *Restaurato Pisano Gymnasio*, prout in una ex solemnibus Ipsius Repetitionibus legitur, celeberrimum Text. in *L. Eadem* 4. §. *Cato Dig.* de *Verb. Obligat.* exponendum suscepit: quæ elucubratissima Expositio notis Prælaudati ejus Generi illustrata in *VI. Repetentium Civilium Volum.* lucem aspexit.

Prædives quoque est Volum. *V.* doctissimis ejus *Commentariis* in *Rub. Digest. de Acquir. vel amitt. Possessione*, & *de novi Operis Nunciatione*, & signanter in *L. Primam* & *L. Non solum Dig. Eod. Tit.* commentatus est (*a*).

Hæc & alia præcellenti Ejusdem calamo exarata sunt cum ad Ordinariam Vespertinam J. C. cum Floren. 500., & biennio post 600., Auri in Auro, reconductus fuit An. 1516., quo ex infra dicendis, *Restauratum Gymnasium* asserit (*b*).

Albo Consistorialium Advocatorum

d iv jam-

(a) *August. Font. Part. I. Biblioth. Legal.* = *Jo. B. Zilet in Indic. &c.*

(b) *Ex. Lib. Memor. pag.* 4.

jampridem adscriptus (*a*), Forensia quoque scite pertractavit luculentissimaque Responsa dedit.

Ob superiora autem, & pleraque alia, quæ quamvis inedita remanserint, nihilominus per Fora, per Academias, ob ingentem Auditorum numerum, quorum frequens fuit ad eum accessus, circumlata sunt, Reipublicæ Jur. Consult. notior in dies redditus, per omnium ora ferebatur, ejusdemque auctoritas, & approbatio a Clarioribus Consulentibus adhiberi cœpit, & communiter a ceteris scriptoribus ejus nomen celebrari (*b*).

A' Patria Urbe, quæ de summa ipsius probitate ac prudentia conscia erat, pro Oraculo Urbis habitus (*c*), pluribus Muneribus, atque Legatio-
nibus

(a) *Carol. Chartar. in Syllab. Advoc. Consistor. pag.* 94. = *Consult. Ms. in Æd. S. Martin. Bonor. Viror. Florent.*

(b) *Soccin. Jun. Cons.* 128. *Paris. cons.* 91. *lib.* 2. *Dec. cons.* 266., *Raud. de Analog. c.* 29. *Bernard. Alphan. in Collect. Jos. Rustic. in L. Cum Avus, Sylvest. Aldobrand. lib.* 2. *cons.* 108. *Jacob. de Lavajan. in Comment. Ms. Veter. Stat. Pis. Rub.* 38. *&c. &c.*

(c) *Paul. Min. de Nobil. Florent.* = *Scip. Ammir. Lib.* 28. *Histor. Fl.*

nibus insignitus est; præsertim vero ad Vice-Regem Neapolitanum; de qua Legatione, præter Arretinam Potestatem, & Prioratum pluries obitum, ac Vexilliferatum summa quiete ab eo gestum, meminit *Ammiratus* (*a*).

Nihil tamen magis in *Deti Nostri* laudem vergit, quam summum *Clementis VII. P. O. M.* judicium, qui, reductis in Florentinam Urbem *Mediceis suis*, pro reformando Reipublicæ statu, inter Duodecim gravissimos Viros huic operoso Muneri destinatos, eum quoque adlectum voluit: quod & *Nardius*, *Nerlius*, & *Jovius* memoriæ mandarunt (*b*).

§. X.

AD Theologicas Disciplinas in Pisana Academia pertractandas, per Triennium circiter, ab anno 1488. sedulam operam navavit *Fr. Lucas Francisci Bonaccursii de Subereto*, ex *Relligiosa D. Francisci Fami-*

d v *lia*

(a) *Id. Lib.* 29. *pag.* 309. 334. *&c.*
(b) *Jacob. Nard. Hist. Flor. Lib.* 9. *in fin.* = *Nerl. ad an.* 1530. = *Jov. Lib.* 29.

lia (*a*), quæ, & ex doctrinæ fama, plures, non intermissa ferie, Lyceo Nostro Professores protulit, & ex Cœnobii opportunitate, quo in Pisana Civitate utitur admodum spatioso, & aliquando etiam locupletiori.

Cum autem ea sit Cœnobitarum conditio, ut, ex obedientiæ Voto, cui solemniter obstringuntur, huc illuc peregrinari jubeantur; neque mediocris in hoc nostro deprehensa fuerit Fraterni Gregis Regendi peritia; Concionandique Facultas, in his Muniis obeundis, constat Ipsum a Supremis ejus Instituti Præsidibus frequenter adhibitum. Ex Regestis, ut vocant, Religionis in Archivo Romano asservatis, ad Annum plus minus 1512., quo vixit, de Gubernio Patrii Cœnobii, quod in Ditione Senensi est; de Regimine Miniatensis, atque etiam Pisani, utiliter ei commisso; immo etiam de Custodia Marittimarum, in Senensi Agro, Regionum quater Ipsi demandata, nullatenus ambigunt Sui. Desiderant vero *Opuscula nonnulla laude* *digna*

(a) *Rotul. in Memor. Reform. sub d. an.* 1488. *pag.* 44.

digna ab eodem conſcripta (*a*), quæ, ut ex *Vvaddingo* diſtinctius habetur, ſunt *Opuſcula quædam Spiritualia* (*b*). An, & quanti ponderis ea ſint, alii curioſius inveſtigent.

§. XI.

E Labente anno 1488., Sacros Canones, Facultatem Eccleſiaſtico ejus vitæ generi convenientiſſimam, Piſis publice enucleabat *Caſtellanus Perotii de Caſtellanis*, nobilis Civis Florentinus (*c*). Poſtquam autem in hac Urbe deſitum eſt legi, ob notiſſimas Anni 1494. calamitates, reverſus in Patriam, Pratum, cum reliquo Scholaſtico Cœtu, commeavit; dumque ibi profiteretur anno 1495., de ipſius Mandato conſtat ad exigendum ſibi conſtitutum ſtipendium in Elemoſynis erogandum (d).

(a) *Ex Toſſinian. Lib.2.Terrinc.Part.* 3. Tit. 1. *num.* CXI.

(b) *Luc. VVadding. de Script. Ordin. Minor. pag.* 239.

(c) *Memor. Reformat. Florent. ſub d. An.* 1488.

(d) *Lib. V. Rer. Stud. pag.* 30. *ſub. d. An.* 1495.

In Albo Pisanorum Professorum, iterum sub anno 1516. notari cœpit, ad Lecturam Ordinariam Juris Canonici Matutinam, cum Floren. 250. de Stud., ei postmodum adauctis anno 1518. usque ad 300. *Francisco del Nero* tunc temporis, Provisoris ac Depositarii partes obeunte [*a*].

Interim, nempe anno 1517., Florentinæ Societatis, quæ sub *D. Hieronymi* Instituto relligiose militat, Gubernationem Procurationemque ipsi demandatam fuisse apparet ex Papiracea quadam Originali Charta, quam penes Erudit. *Dominicum M. Mannium*, mihi perfunctorie contigit intueri ibi = *Io Castellano di Pierozzo Castellani Dottore e Sacerdote Fiorentino Governatore e Procuratore della Compagnia di S. Hieronimo &c.*

Opuscula, quæ huic certo referuntur accepta, sunt *Scenicæ quædam Repræsentationes* Thusco carmine conscriptæ, quarum una *S. Honuphrii*; alia *S. Venantii* inscribitur [*b*].

In opinione eruditorum quorundam,

[a] *In Arch. Florent. Mont. Commun. pag.* 20. = *Rotul. in d. Memor. pag.* 5.

[b] *Jo. Mar. Crescimb. Comment. Vulgar. Poes. Vol. I. Lib.* 4. *Venet. Edit.*

dam, eam provinciam ipſemet occupaverat, quam, reſpectu Quadrageſimalium Thematum, ex typis hujus noſtræ ætatis, conſtat feliciter occupaſſe *Comitem Abb. Brandaligium Venerosium Piſanum* [*a*], nempe præcipua Evangeliorum Noſtrorum Argumenta Poetico numero alligandi: verum non deſunt alii, qui *Leonardo Juſtiniano* tale opus tribuant [*b*].

Incertum pariter an Ipſius opus ſint *Etruſca quædam Moralia Epigrammata*, quæ in Veteri Sepulcreto inſignis Noſocomii, vulgo *di Santa Maria Nova*, leguntur. *Caſtellano* quidem tribuit *Ferdinandus Leopoldus del Migliore* [*c*]; ſed *Lojolita Julius Negrius Franciſci Caſtellani*, procul dubio litteratiſſimi Viri, opus agnoſcit [*d*].

Illud quoque in decus hujus, alioquin duplicis, conſpicuæ Familiæ, ſuper addens, ex ea prodiiſſe *Hieronymam*

---

[a] *Quadrageſ. in totid. Cantion. Edit. Piſtor. an.* 1718.

[b] *Id. Creſcimb. ibid.*

[c] *In Florent. Illuſtr.*, *ubi de Hoſpital. S. M. N.*

[d] *Biblioth. Florent. Script. in verb.* Franc. Caſtellani.

mam Claustralem fœminam, quæ & ipsa non mediocriter in Poetica Arte claruit [*a*].

§. XII.

PEtrus, Sylvestri Filius, ex pervetusta Nobilissimaque Familia *de Aldobrandinis*, cui, Priorum Sellas occupando, non exiguum & Ipse decus addidit [*b*], primo Cæsareorum, deinde Canonistarum Juris Interpretum numerum, dignitatemque auxit. Ad hanc Litterariam Provinciam exornandam accitus anno 1488., Imperiales Institutiones ab initio enucleavit; ad Pontificias deinde Materias, extra Ordinem, profitendas, an. 1492. promotus, in eo Munere perstitit usque ad Pisanam Defectionem, stipendio interim auctus, ut convenientissimum fuerat [*c*]. Non multo post, ut Studentis de se benemerentis, utilitati consuleret, *Additiones ad summam Rolandinam* exaravit, quarum judicium profert, ac

[a] *Ibid.pag.* 301.
[b] *Scip. Ammir. Histor. Flor.Lib.*28.
[c] *Rotul. dd. Ann.* 1488., & 1492. *&c.*

ac Fatum enarrat, *Sylvester Filius* his verbis = *Erat autem quasi in penu Monumentum quoddam rude atque impolitum doctissimi Genitoris mei Petri Aldobrandini, quod ipse olim in gratiam Francisci Miniatensis conscripserat. Ego illud quasi lambendo ad Operis cujusdam non ingrati formam redegeram, ut ad te mitterem, quo studio Te, atque ipsum Tabellionis Officium, in quo summa cum integritate, & laude versaris, juvarem; sed dum hæc molior, Thomas Juncta, cum quo maximi amoris arctissimis vinculis conjunctus sum, suis litteris nunciat velle se Typis excudere Summam, quam Rolandinam vocant: meminisse se Opusculum illud Patris mei Venetiis vidisse; efflagitat tamdem ac summis precibus contendit, ut in lucem emittam. Mutavi sententiam, atque hortatus sum Petrum filium meum, ut Avi, cujus ipse nomen referebat, scripta percurreret, atque ea per fragmenta quædam, Summulæ, quod ajunt, adjungeret atque insereret, suisque locis digereret. Fecit, quod imperaveram, diligenter. Thomas vero accurate excudi atque imprimi fecit. Ego vero tibi nuncupavi ac dicavi, ut mei in te amoris esset perpetuum testimonium. Vale* [a]

Ut

[a] *In Epist. Nuncup. Maurelio Jacobci*

Ut alia deforent ad hujusce insignis Professoris exornationem, illud mehercule satis esset indicare Filium habuisse, & in Jurisprudentia alumnum, *Sylvestrum* ipsum jurisconsultissimum virum; dignum propterea, qui *Regalis Medicei Musæi* Fornices Imagine sua condecoraret [*a*]: cujus *Sylvestri* in Theoreticis doctrinam, præter hæc nostra Gymnasia, testatam abunde faciunt ea, quæ super *Justinianeis Institutionibus*, doctissimique *Decii* Præceptoris sui, *Canonicis Operibus* elaboravit, & Typis edita sunt; immo sæpe recusa; in Practicis vero *Duo Responsorum volumina*, & pleraque alia, quæ sparsim evulgata, magna ex parte, inter *Consilia Divers. Ultim. Volunt.*, *& antiquas Decisionum collectiones*, non sine ingenti Studiosorum utilitate, collecta fuere [*b*], ut exiguum Tractatum prætercam

---

cobello Ferrariensi Tabellioni integerrimo Edit. Venet. an. 1546. *ap. Junctas.*

[a] Ignat. Orsin. *in Lib. super Pict. d. Mus. eddit. an.* 1745., *atque ex eo* Jo. Lam. *in Nov. Flor. d. an. n.* 29.

[b] *August. Font. Parte VI. Bibliotb. in v.* Sylvester ⁼ *Carol. Cartar. de Advoc.*

tercam *de Optima Filiorum Institutione*, quem *Poccianti* noster commemorat [a].

Quid quod ex hoc inclyto Filio *Sylvestro*, alterum *Petrum* Jurisconsultum, de quo in d. Præfatione loquitur, & *Joannem*, ex Advocato Concistoriali Romanæ Rotæ Auditorem, Imolensem Episcopum, deinde Purpuratorum Patrum Collegio adscriptum; & quod est honorificentius, *Hippolitum* ex eodem *Sylvestro* Prognatum, inter Nepotes habuit; gradatim ad Supremum Ecclesiæ Sacerdotium sub nomine *Clementis VIII.* merito evectum; pluresque alios ex descendentibus Scriptores eximios, præstantissimos Præsules, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales amplissimos [b]?

Qui

---

voc. Consistor. pag. 138. ⇌ *Papad. Gymn. Patav. T.* 2. *lib.* 1. *cap.* 23. ⇌ *Zilet T.*2. *Conf. & in Indic.*

[a] *De Script. Florent. in v.* Sylvester.

[b] *Alphons. Ciacon. in Sist. & Pio V.* ⇌ *Egnat. Ursolin. in Florent. Nation. Pontif. & Cardin.* ⇌ *Jo: Bapt. Cantalm. in Sintax.* ⇌ *Jos. & Jacob. de Rub. in Defens. Rediv. cap.* 6. *&c.*

Qui viret in Foliis, venit a Radicibus Humor.

In Istorum laudes pro dignitate commemorandas effusissimi sunt Nostri, & anteactorum Seculorum Calami [*a*]. Unum ex veteribus hic retulisse satis sit, *Josephum Castalionem*, qui *Petro Juniori Cardinali Aldobrandinio* [cujus ineditas quasdam Epistolas in Riccardiana Bibliotheca existere, ex Catalogo *Clarif. Lami* discimus] [*b*] *Librum Variarum Lectionum* nuncupans ita de ipsius Majoribus loquitur = *Ac, ceteros ut omittam, quis Silvestro Avo tuo prudentior, acuratior, subtilior in disputando & respondendo, aut elegantior, & politioris disciplinæ in scribendo studiosior fuit? Ejus scripta ob singularem eruditionem & dicendi genus excultum omnium manibus teruntur. Hanc quasi hereditariam possessionem retinuerunt Pater, & Patrui tui, ad omnem ingenii, doctrinæ, & orationis comendæ gloriam nati. Johannes sane, quem Pius Quintus* in

[a] *Eugen. Gamur. in Histor. Geneal. Fam. T. V. pag.* 244. *&c. Victorel. in Addict. ad* Ciac. *& d. Ursul. pag.* 350. *&c.*

[b] *In Catal. Biblioth. Riccard. in V. Card. Petr. pag.* 102.

in Sacrum Cardinalium Collegium ob vitæ, morumque integritatem, atque multiplicem ſcientiam legit, incertum erat utrum legum, an linguarum eſſet peritior. Thomas vero & Græcas, & Latinas litteras adeo excoluit, ut in iis plane excelluerit. Vivent profecto ejus ſcripta, ac ſumma cum admiratione, & voluptate legentur. Quis Diogenem Laertium ab eo Latinitate donatum, & adnotationibus illuſtratum non expetat, non avide percurrat, in ſinu non ferat, atque in deliciis habeat? Equidem tanta ejus generis dulcedine capior, ut facile, quod ille inquit, omnium vicos, & prata contemnam. De Clemente vero Pontifice Optimo Maximo, quem Deus univerſi juris cuſtodem, parentem, & conditorem eſſe voluit, nihil eſt quod quiſquam expectet, quod dicam; ſi enim in hanc orationem ingrederer, exitum profecto non reperirem &c.

§. XIII.

JAſon de Mayno, Andreotti Mayni nobilis Mediolanenſis Filius [a], *Pauli Jovii*, alioquin in ejus laudes effu-

[a] *Jo. Tritthem. de Script. Eccleſ.* = *Guid. Pancirol. de Clar. lib. 2. cap. 127. num. 195.*

effusissimi [*a*]; neenon *Johannis Fichardi*, *M. Mantuæ*, *Jo. Bapt. Gazalupi*, *Castelliani Cottæ*, *Jo. Alberti Fabricii* silentio [*b*]; immo contraria testatione *Nicolai Papadopolii* [*c*], per summam injuriam, Universitati nostræ ademptus, Eidem Academiæ nostræ, absque ulla hæsitatione, a Die 5. Januarii anni 1488., in Classem Juris Civilis Professorum, & cum stipendio Florenorum 1350. per Nos modo asseritur: asserendus utique, quamdiu Publica Conductionum nostrarum Monumenta non conticescent [*d*]. Ex his unum præ ceteris proferre lubet, quo nedum Ejus in Pisanam Academiam adventus, sed oppurtuna quædam Florentinæ Reipublicæ, ad eum excipiendum, tutoque

[a] *In Elog. Lib.* 1.

[b] *In Addit. ad Pancirol. Edit. Lips. an.* 1721. = *Fabric. Biblioth. Med. & Infim. Ætat. Lib.* 9. *in v.* Jason de Main. *p.* 74.

[c] *In Histor. Gymnas. Patav. Lib.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 16. *ibi* Pisas non est profectus *&c.*

[d] *Memor. Profes. Jur. Civil. in Arch. Reform. Flor. sub d. an.* 1488. *ibi* Cominciò il Di 5. di Gennaro.

toque comitandum, Expeditio probatur. Est hoc, inedita hactenus Epistola, qua sic Ei, sub Die 7. Decembris an. 1487., respondetur [a] = *A Mes. Jasone di Maino*,, Per una
,, lettera novamente scripta da Mes.
,; Paganino Ugolano a Luigi Ven-
,, turi nostro Provveditore siamo cer-
,, tificati di vostra intenzione & co-
,, me volevi partire da Venezia per
,, conferirvi qua a di 29. del passa-
,, to. Et perche da noi desideravi
,, alchune cose come in quella re-
,, scrivevi a d. Mes. Paganino: pe-
,, rò noi desiderosi di compiacervi
,, vi mandiamo il Cavallaro della
,, nostra Signoria il quale vi condu-
,, rà per tutti e nostri luoghi libe-
,, ramente e sanza impedimento al-
,, chuno con tutta vostra Compagnia
,, e cose: & perche alla Condotta
,, vostra non sà a dare altra expe-
,, dizione se non la Ratificatione di
,, Vostra Excellentia però aspettere-
,, mo vi conferiate quà che senza
,, vostra M. non si può darle con-
,, clusione. Et allora insieme con voi
,, si expediranno tutte quelle condi-
,, tioni vi sono sute promesse. A
Bolo-

---

[a] *In d. Lib. cui Tit. Ricordi pag.* 3.

„ Bologna a Zanchini habbiamo scri-
„ pto secondo che per la soprad.
„ lettera domandavi e provisto in
„ modo che bisognandovi dalloro
„ ajuto alchuno li troverete benissi-
„ mo dispofti al fatisfarvi in qualun-
„ que cosa vi fusse di bisogno. De discessu aliud inferius adnotabitur. Hinc patentissimæ subscriptiones, quæ in calce solemnium quarundam ipsius Repetitionum habentur, videlicet in *L. si quis*, *in L. Si testamentum*, *in L. Si Pater*, *& passim alibi*, *C. de Institutionibus*, *& Substitutionibus*, *in Auth. ex causa Cod. de liberis præteritis*, *in l. cum quid in fine n.* 45. *Dig. de rebus cred.*, & passim *in L.* 1. *& tot. Tit. Cod. Qui admitti*, *de Collat.*, *de Carbon. Ed.*, *de Testament.*, *& de Heredibus* ⇌ ibi *Jason Pisis*. Hinc denique Assertum accuratiorum Scriptorum *Valentini Forsteri*, *Jacob. Thomasini*; *Guidon. Panciroli*, *Jo. Petri Niceronis*, aliorumque recentissimorum, de Pisana hac Lectura testantium [*a*].

Pla-

[a] *Forster. Lib.* 3. *Hist. Jur. Civ.* ⇌ *Thomas. Lib.* 2. *cap.* 2. *de Gymnas. Patav.* ⇌ *Pancir. Lib.* 2. *cap.* 127. ⇌ *Nicer. Vol.* 40.

Plane, cum de *Jasone Mayno*, in hoc nostro Clariorum Professorum Albo, retinendo, contentio instituitur, de Maximo Seculi *XV.* *Ornamento* certamen initur: de quo propterea tale profertur judicium ab ejus æquali, Epistolarum *C. Plinii Cæcilii Secundi* illustri commentatore, nempe a *Jo. M. Cattaneo* in Nuncupatoria X. Libri ad *Alexandrum Maynum*, Jasonis fratrem, ac *Thomæ* illius Genitorem, quem in ipsamet Epistola, tamquam Juvenem Musis litantem, nobis exhibet. *Jason* (inquit Cattan.) *Vir Consultissimus Legum Moderator, & Illustris Interpres, quodam Providentiæ dono Mortalibus datus*, &c. de quo pariter nobilis æque Scriptor coævus, ejusdemque Discipulus *D. Bartholom. Cassaneus*, ubi de Prælectionibus Doctorum publice Prælegentium disserit, ita loquitur = *Et ideo tempore meo, inter omnes Doctores totius Italiæ, & Galliæ, præferendus erat Dominus & Præceptor meus Dominus Jason Maynus* (*a*). *Hubertus* quoque *Vellejus* in Appendice ad Annales *Roberti Gaguini Rerum Gallicarum*

(a) *In Catalog. Glor. Mundi Part. X. Consid. XXVII.*

rum, loquens de ipsius Conductione in Civitate Ticinensi, Regio Jussu facta, illum *Omnigenæ Disciplinæ Apollinem* nuncupat, *quo nihil mirabilius sua ætas habuerit* (*a*). *Joachinus* etiam *Hagemoyerus de usu & Auctoritate Juris cap.* 9., multiplicem ejus laudem in hac una complectitur quod *si quis Jasonem pervolvat diligenter, compendio omnes Doctores legisse intelligatur* (*b*).

De Ipso demum, tamquam de Viro, nedum in Jurisprudentia Summo, sed & in *Sacris Litteris*, & in Philosophicis; in Oratoria, & Poetica etiam Facultate conspicuo (Facultatibus utique in Jureconsulto eorum temporum, non ita facile obviis) passim Rerum Historicarum Conditores honorifice loquuntur, quorum omnia atque integra testimonia hic recensere non vacat (*c*).

Detrahunt quidpiam Ejusdem existima-

(a) *Edit. Francf. An.* 1577.

(b) *Ref. Burcard. Gottbelf. Struv. Hist. Jur. cap.* 5. §. 14. *Aster.* 3.

(c) *Joan. Vinc. Gravin. de Ortu &c. num.* 168. = *Sebast. Sap. in Elog. Jas.* = *Tritbem. ubi supra*, & *Niceron. præd. Tom.* 40.

ſtimationi, vix inficiari auſim, ejuſque aliquatenus probro vertuntur Illegittimi, & tamquam ex Patre exule, minus honeſti Natales; conſtat ſiquidem fere apud omnes, *Andreoctum* Patrem, ex Famula Concubinaque, eum ſuſcepiſſe Anno 1435. dum Piſauri, patria extorris, degeret: Infortunium certe Ipſi plus æquo, utpote involuntarium, a. *Franciſco Curtio Seniore*, aliiſque Æmulis, oretenus, & in ſcriptis objectum (*a*).

Longe plus Ejus famam lædit inhoneſtiſſimus, quem, in prima adoleſcentia, iniit, Vitæ tenor; nemo ſiquidem negat, aut diſſimulat quod Papiam, Studiorum occaſione, a Patre miſſus, Aleæ Ganeæque tam fæditer incubuerit, ut viatico non ſemel peſſundato, veſtibus, aliiſque quotidiano uſui neceſſariis, & præ ceteris, pretioſiſſimo quodam Manuſcripto Codice, abalienatis, oppignoratiſve, penes Honeſtioris notæ Diſcipulos, contemptui haberi cœperit; penes alios publicæ etiam irriſioni; tantæ vero, apud Patrem ipſum, indi-

(a) *Pancirol. in Curt. Senior. lib.* 2. *cap.* 119. *num.* 18.

indignationi, ut quamvis idem postmodum resipuerit, atque ex indocili & asoto Adolescente, probus ac bene moratus studiosissimusque evaserit, hoc ei minime profuerit, quominus, in Testamentariis Tabulis jam pridem signatis, si non omnino exheres factus fuerit, exiguioris certe peculii particeps redditus, non sit expertus per longissimum tempus, Patriæ severitatis effectus; immo ex Prælegato quodam Mulæ, sibi in eodem Testamento adscripto, per totum vitæ tempus, non ingemuerit contestatum sibi ab eo, cujus nullus certior Testis, dolendum nefarii ortus opprobrium (*a*).

At nemo, nisi historicarum rerum expers, ignorat, quod, ut contractam hanc ex illegittimis natalibus, atque ex dissoluta adolescentia, labem abstergeret, maturioris judicii compos factus, omni animi nisu, summaque contentione, sibi Professorias Sellas, Equestria Insignia, Senatoriam Ipsam Togam, sibi pro illustri scopo proposuerit. Proposuit; nec certe incassum.

Primum etenim *Ticini* Jurisprudentiam,

(a) *Prælaud. Niceron. d. Tom.* 40.

tiam, anno 1471., Ei profiteri datum, ubi antea Legibus operam dare cœperat sub *Catone Sacco*, *Hieronymo Torto*, *Jacobo Puteo* (*a*); studiis deinde prosecutis sub *Alexandro Tartagno Imolensi* (*b*); atque in eadem Papiensi Academia notulas illas conscripsit, quibus illustratum *Christophori Porcii* (*c*) Opus in Tres primos Institutionum Imperialium Libros, circumfertur.

Patavii postmodum, honestioribus conditionibus illectus, cum Honorario scilicet *Ducatorum Mille* (*d*), ingenii studiorumque suorum periculum fecit, *Antonio Ursato* & *Jo. Campegio* Collega datus., ubi perstitit usque ad annum 1488., quo sub Die 5. Janua-

(a) *Id. Panzirol. Sebast. Sap.*, & *Mant. ll. alleg. superius. Franc. Hotoman. in Comment. Verb. Jur. in V.* Jason.

(b) *Præter alleg. Auctor. Forster. Lib.* 3., *id. Jas. in Cons.* 132.

(c) *Jo. Bapt. Zil. in Catal. Lib. Legal. pag.* 4.

(d) *Jac. Philip. Tomasin. in Comment. Gymnas. Lib.* 2. *cap.* 2. *sub An.* 1486. *Pancir.*, & *Cassan. ubi supra* = *Anton. Riccobon. in Descript. præd. Gym.*, & *Papad. loc. præcit.*

nuarii, ut supra prænotavimus, lautiori stipendio Floren. 1350., Juris Civilis Ordinarius Professor hujus nostræ Academiæ renunciatus fuit (*a*).

Itaque Patavio profectus, non illico Ticinum reversus, ut perperam a *Papadopolio* fuit adnotatum, in ea Urbe Cæsareum Jus edocuit; sed apud Nos constitit, atque hic signanter Materiam *de Bonorum Possessionibus*, aliosque ex *VI. Codicis Libro Titulos*, ac Materiam quoque *de Rebus Creditis* &c. miro semper, quo præstitit, Ordine exposuit (*b*).

Illud tamen ultro, quamvis ægre, fatemur quod brevem apud nos moram traxerit, nec sine contemptu Academici Ordinis, hinc abierit, curata per proprium Famulum, ex Albo, proprii nominis obliteratione: quod quidem inaudita magnanimitate, Gymnasiarchæ dissimularunt (*c*). Post

---

(a) *Præd. Lib. Reform. Florent. sub d. an.* 1488.

(b) *Vit. Jason. edit. post secundam Cod. Edit. Tom. ult.* = *Gravin. ex Alciat. in v. Jas.* = *Raudens. Var. Resolut. cap.* 69.

(c) *Spol. Epistol. in Memor. Reform. pag.* 13. *sub D.* 25. & 26. *Octobr.*, & 10. *Novembr.* 1489.

Post hæc, parendum Ipsi fuit, *Ludovico Sfortiæ* in antiquam Ticinensem Scholam, eum revocanti; ibique solemnem illam Repetionem instituit super *L. Quominus 2. Dig. de Fluminibus*, quam *Petrus Offredus Cremonensis* magniloquo extulit Carmine, quod in calce *Vol. V. Civil. Repetent.* habetur.

Atque Ticinensis hæc Schola, ne mentiar, sicuti diuturnior, ita illustrior fuit Sedes, ubi ipsius ingenium enituit. Ibi, referente præ ceteris prælaud. *Huberto Vellejo, in Appendice ad præcitat. Annales*, annuo Stipendio Ducentorum, & Mille Nummum Aureorum, quo nemini amplius ibidem fuerat constitutum, singularis ejus doctrina donata est. Ibi *Ter Millia* (penes Relatores fides omnis sit) *Discipulorum*, hinc illinc ad Ipsum audiendum profecta, dilucide ornateque Jus Civile explicantem auscultarunt: inter quos, præ reliquis, eminentia doctrinæ præstitere *Catellianus Cotta, Jacobinus a S. Georgio, prælaud. Cassanæus, Jo. Franc. Ripa, Paulus a Monte Pico, Paulus Jovius, Claud. Seissel., Rocch. Curtius, Franc. de Provanis &c. &c.* (a)

(a) *Catel. Cot. in Recens. Insign. Jur. Inter-*

Quo loci illud etiam ei honorificum maxime contigit, quod anno proxime sequenti, Alexandro VI., ob ejus ad Summum Ecclesiæ Sacerdotium, nomine sui Principis, gratulatum missus, inter ceteros disertissimos Oratores, primas tulerit; ejusdemque Oratio dignissima, quæ publicam lucem aspiceret, reputata est; eandemque vidisse se, coævus Auctor *Jo. Tritthemius* affirmat (*a*).

Non multo post, *Maximiliano I. Cæsari*, in locum prædefunctæ Conjugis *Mariæ Caroli Burgundiæ Ducis Filiæ*; ablatæque ipsimet *Annæ*, *ex Francisco Citerioris Britanniæ Duce* progenitæ, sibi in uxorem destinatæ, *Blancam Mariam Galeatii Vicecomitis Filiam* superinducenti (*b*), expertissimus Orator destinatus, facundæ orationis apud Ipsum, ex injuncto sibi munere, solemniter habitæ festivissi-

---

Interpret. ⇌ *M. Mantua in Epitom. Vir. illustr.* ⇌ *Pancir. d. loc.* ⇌ *Seissel. in Præfat. Spec. Feud. &c. &c. In Repet. Jas. in L. Cum in antiquis C. de inoff. Testam.*

(a) *Relat. in Tom. ult. Edit. Lugdunens.*

(b) *Laur. Patarol. in Maxil. I.*

vissimique Epithalamii (*a*) præmium, Equestrem Palatinamque Dignitatem nactus est; quibus decoratus, Papiam remeavit: unde iterum temporaliter profectus, occasione solemnis inaugurationis ejusdem *Ludovici Sfortiæ in Mediolanensem Ducem*, rediit novis muneribus, ac titulis decoratus; præsertim vero Titulo *Ducalis Senatoris*, eo sibi magis accepto, quo in eadem Mediolanensi Urbe, repulsam olim acceperat, intuitu illegittimi ortus, a collegio Mediolanensium Jurisconsultorum, cum in eum cœtum admitti efflagitarat (*b*).

Post hæc, gravi oculorum morbo præpeditus, per aliquod, nec exiguum temporis intervallum, a consueto Lectionum exercitio, abstinere coactus fuit; quod denique resumpsit auspicatissime, quum *Galliæ Rex Ludovicus* XII. Ticinum delatus, audiendi *Jasonem* se se cupidum ostendit. Regiis jussibus obtemperare sibi gloriosum duxit *Jason*: qua occasione, illud commemoratione dignissi-

(a) *Bernardin. Corius P. ult. Histor. Mediolan. &c.*

(b) *Hoping. de Insignibus Cap. 2. §.6. n.* 617.

mum occurrit, quod in ipso ad Cathedram accessu, ex Regia destinatione, quamvis invitus prorsus, ac renuens, nedum Regium Comitatum, inter quos Cardinales Quinque; sed & ipsum *Principem* præcedere jussus sit, satisfecitque adeo feliciter Ejus Aulicorumque expectationi eam Thesim propugnando = *Equestrem Dignitatem militari virtute acquisitam ad Filios transmitti*, ut, e Cathedra descendens, inter communes circumstantium plausus, ad familiare colloquium cum Rege ipso admissus, interrogatusque cur nondum nupsisset, intimum, at forsan nimis ambitiosum, animi sui votum celeri responso patefecit, nempe ideo non nupsisse, ut, eo fautore, Cardinalitiam Purpuram a *Julio II. S. P.* posset aliquando nancisci (*a*). Vereor tamen ne, vel ipsa spe, fuerit illico defraudatus, cum interim, quod in libera Regis erat potestate, Feudo & Comitis Charactere donatus sit (*b*), ea tamen honorificentissima conditione, ut donec per ætatem, & vires,

(a) *Paul. Jov. in Elog.*, *Nicer.*, & *communiter*.

(b) *Jan. Vinc. Grav. in eod.*

res, Ei liceret, ſuam Auditoribus operam impendere non detrectaret. Non deſtitit Ille quidem a Profeſſorio ſuo munere; nihilo tamen minus (ut ipſemet in ſua Conſultatione conqueritur) injuria Miniſtrorum, Caſtri illius emolumentum ſibi interceptum ſenſit (*a*); cum ea inſuper contumelia, ut ejus querimonias præſeferentes Epiſtolæ, laceratæ conculcatæque perhibeantur. Adeo verum, priſcis illis temporibus, aliiſque non ſatis cultis, propenſam quidem fuiſſe erga Litteratos Viros Maximorum Principum voluntatem; averſum vero ab iis, ut plurimum, Aulicorum illiberale Miniſterium!

Felix nihilominus *Jaſon*, ſi iſthæc unica, aut maxima fuiſſet ærumna, quæ ipſum afflictata eſſet; cum etenim majus, aut minus Compendium ea reſpiceret, æquo fuiſſet animo toleranda.

Majoribus, circa decus exiſtimationemque, & ipſam corporis incolumitatem: quorum in provectiori ætate, ſuapte natura magis homines appetentiores ſunt, fuit *Jaſon* obnoxius. Viro multis nominibus claro,

 non

(a) *Id. ibid. &c.*

non semel de loci prælatione cum juniori *Decio* contendendum fuit, conserendæ manus, & a verbalibus ad reales injurias indecentissime deveniendum (*a*). Objecta Ipsi sæpe sæpius Plagia, nedum ex *Hieronymi Torti*, *Jacobi Putei*, & *Alexandri Tartagni* Præceptoris scriptis (*b*); verum de eo quoque insimulatus, quod clam Auditores suos in *Bartholomæi Soccini*, & *Caroli Ruini* Auditoria intromiserit, ad meliores Interpretationes excipiendas transcribendasque, atque pro suis venditandas (*c*).

Objecta ei nimia lucri aviditas, adeout suas in Jure Consultationes, Aureolis quatuor, tunc temporis, aut paulo pluris divendi solitas, Quinquaginta, & aliquando centum, suis Clientibus emendas protulerit (*d*); & ad extorquendam excedentem summam, iis, si causa cecidissent, aut alias

(a) *Hyacinth. Vinciol. in* Jas. *præter Nicer. & Gravin. dd. loc.*

(b) *Pancir. in* Alex. *lib. 2. cap.* 112.; *& Papadi d. l.*

(c) *Prælaud. Vinciol. in Indic. Celebr. J. C.*

(d) *Bejerlinch. in Theatr. Vitæ Human. in v.* Jas., *ubi & Pancir.*

alias fuccubuiffent, fe impenfum omne ejus litis occafione refecturum inaniter fpopondiffe (*a*).

Objectum in maxima, quam affectabat, Cælibatus laude, Concubinatus dedecus, ex quo, ficut erat is progenitus, ita *Polydamantem* filium fufceperit (*b*).

In his vero, quæ mentem afficiunt, nullum Rationali Animanti poteft unquam evenire gravius incommodum, quam id, quo in extrema fenectute Ei fupervenit; notabilis fcilicet Infipientia; feu ut nonnulli perhibent, deliratio (*c*), ex diuturna nimirum fpirituum in Studiis diffipatione, exagitationeve facile contracta. Illi fiquidem illud *Apellis* in ore frequens, & non tam verbis, quam exemplo Auditoribus inculcatum = *nullum diem fine linea* abire prætermittendum (*d*).

Denique poft ipfam calamitatem, e vi ex-

(a) *Paul. Freher. loc. infer. alleg.*, & *Papad. præd. loc.*

(b) *Petr. Bæl. Tom.3. Diction. Hiftor. Critic. pag.* 285.

(c) *Gravin.*, & *Papad. loc. præcit.*

(d) *Paul. Freher. Theatr. Vir Illuftr. P.* 2. *Sect.* 4.

extremam omnium subiit, cum expers cognitionis, Anno 1519., in Ticinensi Urbe, ætatis annorum 84., diem clauserit extremum (*a*); Jaceique in Sacra Æde *D. Jacobi* extra Urbem tumulatus cum simplici hoc Epithaphio = *Jason Mainus J. C. Eques & Comes quisquis ille fuerit hic requiescit* (*b*).

In quavis ferme ætate certatim alii alia in ipsius laudem protulere. Extat apud *Jovium* aliud *Dardani Parmensis*; atque non inelegans prælaudati *Offredi Cremonensis* Epigramma, quo *Jasoni* Poetarum carminibus notissimo æquiparatur, ex quo postremum dumtaxat Disticon libet transcribere....

Amborum sic Fama omnem vulgata per Orbem;
Ille nitens Belli laude, sed iste Togæ (*c*):

Cui consonat aliud M. *Gribaldi Mophæ*, inter adnotata eruditissimi viri *Jacobi Menochii*, in calce apposita, in-

(a) *Grav., Fabric., Nicer. loc. præalleg.*
(b) *Pancir. in fin. d. elog. &c.*
(c) *In Prima P. Dig. Nov. apposit.*, *relat. etiam a Jo. Fich. in Vit. J. C. Recentior.*

in commendationem ejus Operum, quod ita se habet....

Lector emas quae Clarus scripsit Jason,
Nam tibi Jasonii Velleris instar erunt.

Sunt autem ipsius praecipua haec Opera ⇌ *Commentarii in Tit. Instit. de Actionibus*, ab aliis *Alexandro* ejus Praeceptori tributi ⇌ *Praeludia Feudalia* ⇌ *Comment. in Ordinar. Mater. ex Dig. & Cod.*, *Jacobi Menoch. aliorumque Doctor. notis Illustr.* ⇌ *Apophtegmata*, seu *Singularia Juris* ⇌ *Quatuor. Consi. Volum.* ⇌ *Orat. in Promot. Alexandri VI. S. P. Mediolanens. nomine* ⇌ *In funere Hieronym. Torti J. C. ejus Praeceptor.* ⇌ *Epistol. nonnull. Epithalam. in Nupt. Maximil. I. & Blanchae Mariae Vicecomitis &c.* (a)

Quod ad praelaudatum Epithalamium pertinet, perperam quis, ob decantatam *Jasonis*, etiam in Poeticis

---

(a) *Jo. Tritem. de Scriptor. Eccles.* ⇌ *Jo. Mabillon. in Catalog. Select. Oper.* ⇌ *Jo. Albert. Fabric. d. Lib. 9 Biblioth. Med. &c. Burch. Struv. in Bibl. & Hist. Jur. Jo. Bapt. Zilet in Ser. Canonist. Jo. Nicer.* ⇌ *Philip. Argelat. in Tom. 2. Bibl. Mediolan.*

cis peritiam, Carminibus expressum id existimaverit; prosa etenim Oratione scriptum ex *Marquardo Frebero*, & ex præcit. *Burch. Struvio in Recentis. ejus Biblioth.* Editione monemur; immo editi hujus Epithalamii compos & ipse nuper redditus inserti cuidam selectæ Collectioni, Parisiensibus Typis *Antonii Bonnemeræ* impressæ, cum Elogio *Raymundi Cardinalis Cursensis*, anno 1494., in formam Epistolæ, ad ipsum *Jasonem* exarato: quod utpote minus obvium, pro coronide, lubet hic, prout jacet, exscribere = *Raymondus Cardi-*
„ *nalis Cursensis consumatissimo jure-*
„ *consulto & oratori facundissimo domi-*
„ *no Jasoni Mayno nostro præcipuo* ....
„ Non possumus non summopere
„ extollere jureconsulte & orator
„ preclarissime orationem quam ad
„ Serenissimum Romanorum regem
„ pleniori ventorum flatu insufflasti
„ Tanto enim latini sermonis orna-
„ tu : tanto verborum sale condita
„ videbatur : ut non solum nos ipsi
„ omnium minimi, verum etiam o-
„ mnis multitudinis corona publico
„ & uno consensu te oratorem in
„ italia longe ceterorum principem
„ decerneremus. Eam mediusfidius
„ jam perorato sermone a te : sicut

„ pe-

„ petivimus. Quippe quam publice „ sine oratoris discrimine legi & publicari posse credebamus. Mirum „ in modum eloquio tuo mellito accensi ipsam orationem apud nos „ esse cupiebamus. Sed voto nostro „ eo tempore subveniendi locus tibi „ non est datus. Si quidem si recte „ meminimus: orationem tedumtaxat memorie mandasse & non totam scripsisse affirmabas: pollicitus „ eam ubi omni diligentia exscripta „ fuisset ex Mediolano constanter „ nobis esse donaturum. Proinde „ cum eam ornatissimam orationem „ habere magis magisque accendamur & ex memoria in scriptis „ translatam esse arbitremur, desiderii nostri partes esse duximus: si „ orationem ipsam per litteras nostras efflagitaremus. Eja igitur te „ valde oramus ut huic nostro Tabellario ad nos dare velis: pollicitisque tuis occurrere contendas „ id quod ex humanitate tua te effecturum confidimus. Vale cum „ salute. Ex Prætorio veroneo octavo „ Aprilis *M.CCCC.XCIIII.* (*a*)

§. XIV.

(a) *Præfectos Prætoriis*, *etiam alibi* Cardinales *appellatos ex Cod. Theodos. monemur*, & *ibi adnotatis.*

§. XIV.

CEteris, qui Cæsareum jus, pro dignitate, publice profitebantur, prælaudato *Jasone* superaddito, *Jasone*, inquam, Fonte Juris Civilis uberrimo, supervacaneum plane videbatur, eodem ac proxime subsequenti anno, alios adjungere. Verum cum instantibus aliis Academiis, & maxime Patria Ticinensi, de longiori ipsius mora, sibi Gymnasii nostri Curatores desponderent, alios ac subinde alios conducendos existimarunt, qui plures Uni æquivalerent, inter quos, ordine Patriæ servato, primo nobis occurrit......

Jacobus Vanni nobilis Pisanus, nobili Fœminæ Constantiæ *Gabrielis Mastiani* connubio junctus (*a*), qui Justinianeis Institutionibus explicandis ope-

(a) *Arb. Gentilit. Fam. penes Reverendiss. Collegam nostrum* Abb. D. Victorium Raynerium Seravallinium, *cui tamquam* Seravallineo Vannio, *Eleg. dic. D. Syl. Maffejus Typ. Lucens. an.* 1748. *Vid. etiam Mechan. Thes. sub eo Pis. propugn. an.* 1750. *a Rayn. Bonav. Martens.*, *& Tetradecastic. &c.*

operam navaret, in quibus sui periculum fecisse, & cum approbatione fecisse, penes utriusque Studii Curatores testimonium adhuc extat locupletissimum (*a*). Ut erat æque doctus, prudens, atque facundus, Eo postmodum Pisana Respublica, non sine aliqua Florentinæ Indignatione, in pluribus Legationibus, eo collineantibus, ut excusso, sed iterum imminenti servitutis jugo, se se diutius subtraherent, usa est ad Carolum Galliarum Regem, assertæ libertatis ambiguum instabilemque promissorem (*b*); ad Venetos, Lucenses, Mediolanenses, Senenses, in quibus pariter fiduciam non admodum tutam collocarant (*c*). Eodem quoque utiliter usi sunt Pisani Proceres, tamquam Fisci Advocato, Judice, Communitatis a Secretis, Assessore Officialium, ut ajebant Massæ, proque aliis honorificentissimis Muneribus,

(a) *Memor. Reform. Florent. sub an.* 1488. & 1491.

(b) *Philip. Comin. in Commentar. de Bello Neapol.* — *F. Guicciard. L.* 1. *Hist.*

(c) *Franc. eques Paul. ex Patr. Monum. dd. Ann. pag.* 138.

bus, ut excurrenti Pisanas Tabulas palam fit (*a*).

§. In hac Rerum constitutione, in Album quoque Juris Civilis Professorum retulerunt Senensem hominem, *Franciscum Vergellensem Baptiptistæ Filium* (*b*) sic facile nuncupatum a Pago ejus Territorii, *Vargelle* dicto: quæ Patria etiam fuit insignis, eadem ætate, Pictoris, nempe *Jo. Antonii Razzii*, vulgo *il Soddoma*, & *il Mattaccio* (*c*). At *Franciscus noster* corporis, animique viribus impos, per breve temporis intervallum, in hoc Munere obeundo perstitit (*d*).

§. Ob ægritudinem, anno suæ Conductionis 1489., neque potuit Muneri suo par esse *Bartholomæus Ser Joannis Guidi Florentinus Civis* (*e*); quod

(a) *In Tabular. Pis. Com. Bac. I. An.* 1495. *pag.* 21. *&* 66. *Bac. II. ad An.* 1496. *pag.* 132. *Bac.* 3. *pag.* 143., *&* 67. *Bac. IV. pag.* 19. 114. 128. 157. *&c.*

(b) *Lib.* 4. *Deliberat. Stud. pag.* 126. *terg.*, *& Memor. sub d. an.* 1488.

(c) *Mus. Flor. Tom. VII.*, *& ex eo Erudit. Nov. Script.* 23. *Aug.* 1748.

(d) *Notul. in Memor. Reform. Florent. sub an.* 1489.

(e) *De Jo. Notar. Flor. Placid. Puccinel. de Fid. Notar. pag.* 139.

quod insequenti tempore, pro viribus, executus est (*a*).

Hic est ille *Guidius*, qui paulo post, ipsomet *Jacobo Vannis* substituto relicto, inter Florentinos Priores assedit (*b*); & anno 1494., in Universa Urbis Commotione, Populo adversus *Antonium Bernardi Miniatis*, Montis Provisorem, propter pecunias Florentini Communis non bene custoditas, aut male dispersas, ad necem usque sæviente, *Joannem* Patrem suum, unum ex Florentinarum Reformationum Officialibus, Studiique Notarium, carceri mancipatum, totamque domum impie vastatam vidit, ut ejus in Officio Successor memoriæ mandavit, & nos alibi adnotabimus (*c*).

§. Ad petitionem quoque Discipulorum, præsertim vero Francigenarum, in Jurisconsultorum Professorias Sellas, ex Publico Decreto, fuit admissus *Johannes Gallus* (*d*).

Hunc,

(a) *Præd. Lib. Offic. Stud. sub d. An.*

(b) *Lib.* 4. *Rer. Stud. pag.* 58. *sub D.* 30. *Octobris* 1491.

(c) *Ex Bartholom. Miliani de Deis Lib.* 5. *Rer. Stud. p.* 27.

(d) *Mem. Reform. pag.* 14. *terg. sub die*

Hunc, ex ingenito quodam vivacissimæ illius Nationis spiritu (*a*), gustuque Adolescentium, Legum Romanarum eruditione, cum quodam dicendi lepore ac suavitate conjuncta, præditum fuisse accepimus. An extiterit, ignoratur ex Academicis Actis; immo nec Cognomen, nec Patria, ex Provincialibus Scriptoribus datum fuit hactenus detegere.

§. Johannes *Bonaccursi* nobilis Pistoriensis (*b*) ab anno 1490. in aliquot sequentes, partim in Civilibus Institutionibus tradendis; partim vero in *VI. Decretalium* explicatione, non tam Pisis, quam Prati, ac Florentiæ, operam suam cum plausu locavit (*c*). At Hunc miseranda morte sublatum paulo post ingemuerunt; ab *Ascanio* siquidem *Ciocio*, cujus Genitor ab *Andrea Petrini Bonaccursii* fuerat

---

die 22. *Jun. an.* 1489. *& Rot. J. C. an.* 1490. *ex lib.* 4. *pag.* 197.

(a) *Jo. B. Donius in Epist. ad Tarquin. Gallut. in Vit. d. Jo. B. Don.*

(b) *Mich. Angel. Salv. P.* 2. *&* 3. *Histor. Pistor.* — *Georg. Vivian. Marches. in Mus. Honor.*

(c) *Rotul. Acad. dd. Ann.*, *& ibi Vigilant. Provis.* Hieron. Summar.

rat interemptus, ultore gladio fuit e vivis ereptus (*a*).

Age vero ab his, veluti turmatim enumeratis, ad celebriores aliarum Facultatum Professores, noster sermo convertatur.

§. XV.

INclita Senarum Urbs, de Athenæo alias benemerentissima, utpote quæ præcellentes viros Ei, nullo non tempore, suppeditavit, videlicet ***Franciscum de Senis***, sic a Patria nuncupatum, ***Alexandrum Sermonetam***, ***Bartholomeum Soccineum***, ***Bulgarinum***, ***Ninium &c.***, de quibus jam egimus, plurimosque subinde, de quibus agemus, nobis, declinante hoc Seculo, & potissimum Anno 1488., ex illustri *Boninsegnia* Familia *Boninsegniam* protulit, qui, ab Ordinaria Philosophiæ Cathedra, pro qua primum conductus fuerat, cum Honorario 45. Florenorum (*b*), ad Extraordinariam Medicam Anno 1490., cum

(a) *Præcit. Salv. P.* 3. *pag.* 10. *sub An.* 1499.

(b) *Series Philos. Medic. in Arch. Reform. An.* 1488. 1490.

cum aliquanto lautiori Floren. 60. ſtipendio reconductus apparet. An ipſi arctum Agnationis vinculum fuerit cum *Antonio*, adhuc anxius inquiro. Illud mihi hactenus, ex Academicis Actis incomperto eſt, ex *Bartholomæo Boninſegnio* prognatum fuiſſe, atque in Patria, Philoſophicis rebus explanandis jampridem Quinquennium exegiſſe [a]. Si vere *Antonio*, ut ſtudiis, & ætate, ita & ſanguine proximus extitit, Ei ſummum, etiam ex hoc inſigni viro, decus acceſſit; *Antonius* ſiquidem primum *Franciſci Cardinalis Piccolominei*, poſtea ſub nomine Pii III. *S. P.*, Archiater, & a *Cardinale Sanvitalio*, *Bononienſi Legato Comes Palatinus* creatus; & ab Urbevetana & Viterbienſi Civitate, quibus inſerviit, nobilitate inſignitus maxime præfulſit [b]: quæ denuo forſan mihi expendenda occurrent, ubi ad *Juniorem Boninſegnium*, e noſtris pariter Collegis, fuerit opportune deventum.

Interim adnotandum quod, vigentibus

[a] *Ibid.* in *Lib. Memor. pag.* 44.

[b] *Iſidor. Ugurgier. Pomp. Sen. P. I. Tit.* 17. *p.* 524. *&c.* = *Præ laud. Marcheſ. P. II. Muſ. Honor. pag.* 422.

tibus aliis Clarif. Profefforibus, qui Rationalem Medicinam cum plaufu edocebant, de ea quoque Medicinæ parte, quæ Chirurgia, a Manuali Operatione dicitur, provide cogitatum fuit. Quis crederet? Suafor hujufce Conductionis *Bartholomæus Pafquini*, in hoc noftro Ordine infimi famulatus homo, fuit, vulgo *Bidello*, fupremis Gymnafii Moderatoribus fignificando *Johannem Lopetium* Hifpanum, præclaris experimentis Rem Medicam illuftrare. Iidem rem omnem æqui bonique facientes, non quis enunciaret, quam quid enunciaretur, expendendo, in Album Extraordinariorum Profefforum, cum annua folum Mercede Floren. vigintiquinque, e centum quadraginta, quos efflagitabat, *Lopetium* retulere [*a*].

In Chirurgica Hiftoria mentio fit *Jo. Lopetii*, qui *Librum de Materia Medica ad Tyrones*, pluries impreffum, concinnavit [*b*]; fed hic *Jo. Lopetius de Tudela* eft, &, ut ex Editionibus patet, aliquanto ætate Po-

---

[a] *Rotul. d. an.* 1489. *Pifan. ex lib. Epiftol. in Tabul. Flor. pag.* 45.

[b] *Jo. Jacob. Manget. P.* 1. *lib.* 11. *pag.* 115.

Posterior. In Catalogo *Clar. Hispaniæ Scriptorum Valerii Taxandri* [*a*], de duobus aliis hujus nominis meminit Auctor, quorum prior Theologus Dominicani Ordinis fuit, alter vero J. C. etiam ab *Antonio Teisserio* commemoratus [*b*]. Num autem, aliquo Agnationis gradu, Nostrum hunc; vel recentiorem *Didacum* Juris Antecessorem in hac pariter Academia nostra, contingant, in hujusce Postremi Elogio, nisi forsan prius, indicabimus.

§. XVI.

IN conspicua *Gallorum* Pontremulensi Familia hereditariam quodammodo Philosophicarum Medicarumque Rerum excellentem peritiam dixeris [*c*].

Ad seriem pertinet *Franciscus* Senioris *Antonii* Filius, de quo, præter Academicorum Monumentorum lu-

[a] *Pag. 66. d. Oper. Edit. Mogunt. Typ. Balthas. Lippi an. 1607.*

[b] *In Catalog. Auctor. &c. Edit. Genev. Typ. Samuel. de Tourn. an. 1686.*

[c] *Arb. Gentilit. apud Fam. D. Antonii Junior.*

lumen (*a*), inter Schedas Salvinianas, hæc = = Anno 1490. 17. Nov. = *Magister Francíscus Magistri Antonii de Gallis de Pontremoli Medicinæ Doctor, Logicam Ordinarie legens in Studio Pisano* (*b*).

Verum præsignatus hic Annus non fuit primus ejus Academicæ Professionis; sed annus 1488., cum tenui primum Stipendio Floren. 30., obito, etiam antea, Festis Diebus, cum adhuc inter Discipulos, Discipuli partes ageret, hoc munere (*c*).

Idem semel iterumque Dialecticæ curriculo absoluto, ad Extraordinariam Medicam, & demum ad Ordinariam, cum majoribus subinde Stipendiis, & summa laudis accessione, evectus, in hoc Publico Docendi Munere, ad seram usque ætatem, perseveravit, huc honorificentissime revocatus a Cosmo I. clementissimo Universitatis nostræ Re-

(a) *In Tabul. Reform. Florent. sub an.* 1488. *& seqq.*

(b) *Ex Rogit. Ser. Nicolai de Rovaiis in Arch. Gener. Flor. p.* 61.

(c) *Catal. Extraord. in d. Tabul. Reform.*

ſtauratore, ad Praxim Medicam edocendam cum Flor. 450. anno 1543. (*a*)

Interea illud ei, partim fauſtum contigit; partim vero luctuoſum, ut unum ex filiis, *Georgium*, anno 1525., ad Magnifici Rectoris gradum, evectum ſubſpexerit (*b*), Eique in Primatiali; ut vocant Templo, ampliſſima ſui Muneris Inſignia a *Gregorio Leolo*, *Piſani Antiſtitis Generali Vicario*, tradita; nec multo poſt depoſitum Magiſtratum, ſibi Lecturæ Comitem deſignatum audierit: ingens utique ſuæ ſenectæ levamen extiturum, niſi immatura adhuc ſibi præreptum morte coactus fuerit ingemiſcere. Ei propterea, ceteriſque Poſteris, triſtem hanc Epigraphen, in medio *Piſanæ Eccleſiæ S. Catharinæ PP. Prædicatorum*, ab eo latere, ubi Ara, & Cathedra *D. Thomæ* colitur, cum Gentilitio Stemmate, tunc temporis *Trium Stellarum* (*c*), Marmoreo

(a) *Rotul. Univerſit. in Arch. Flor. Dominor. Conſiliar. d. A.* 1543.

(b) *Ser. Rector. in Piſ. Florentinoque Tabular. ſub d. an.* 1525. *&* *Lib. Partit. ab an.* 1517. *&c. pag.* 52.

(c) *Nunc ex Cæſ. Caroli V. Diplom.* Gal-

reo Lapide insculptam apposuit = *Hoc in Tumulo jacent ossa M. Rectoris Pisani Gymnasii Domini Georgii de Gallis de Pontremulo Artium, & Med. Doctoris Ordinariam Legentis, ejus* PR *Magr. Franc. Medicinam Ordinariam profitens, ac Lectura Comes, & Heredibus Posuit.*

§. XVII.

E Nobili *Martellinia* Familia, quæ nunc, Florentiæ, bipartita est, ac diversum omnino Insigne præsefert; altera enim *Cervam Albam* in Area Rubra; altera *Falconem Argenteum* ostentat (*a*), utraque Viros in quovis genere, præstantissimos protulit (*b*).

Ex hac postrema, quam vulgo nuncupant *del Falcone* ortum duxit *Joannes*, anno 1464. *Francisco Patre* pro-

f ij geni-

Gallum *in superiori parte stantem adijciunt*; *quod* Galeatio J. C. *concessum fuit an.* 1530. *&c.*

(a) *Franc. Segalon. in Prior. Reform. in Arch. Secret. S. C. M.*

(b) *Clar. Jo. Lam. Memor. Ital. Erud. præstant. Tom. 1. in Elog. Philippi Bonarot. & in Hodepor. P. 2.*

genitus [*a*]. Hereditariam quodammodo nactus indolem ad Philosophiam ac Medicinam, quam dudum *Angelus*, & *Leonardus*, professi fuerant, iisdem Disciplinis serio animum applicuit, & potissimum Medicæ Rei; quam juvenis adhuc 24. annorum, dum Pisis Discipuli partes ageret, Festis Diebus, unanimi Nationum voto, per Consiliarios exhibito, e publicis Rostris enucleandam an. 1488. aggressus fuerat [*b*]. Specimen hoc egregie præstitum Supremos Studii Præsides adegit, ut Quotidianæ Lecturæ compotem redderent, collata prius ei Logicæ Cathedra cum Floren. 25. anno 1489., iisque Collegis datis, de quibus superius actum.

Ad Medicinam promotus anno 1501., cum stipendio Flor. 60. reperitur [*c*]; & hanc ipsam, collapso postmodum Gymnasio, ægris dumtaxat opem suppeditando, ita laudabiliter exercuit, ut anno 1515. non indignus habitus fuerit, ut in summo

[a] *Id. Segal. Tom. 6. pag. 458. terg.*
[b] *Sched. Hieronym. a Summar. in Tabul. Univers. Pis.*
[c] *Rot. Acad. in Ser. Medic. An.* 1501.

mo Magistratu Dominorum, Florentiæ assideret [*a*]. Quinquennio circiter postea, vitam cum morte commutavit; & in *Ecclesia Carmelitarum*, de quibus Universa Familia benemerentissima, repositus fuit, ut ex Negrologio PP. constat, ubi hæc verba = *A dì 12. Aprile 1520. Si sotterrò M. Giovanni Martellini, avemo Libre 5. di candele, oncie 9.*

§. XVIII.

JOhannem *Franciscum de Gennariis*, ex Oppido Umbriæ prænobili, quod *S. Sepulcri* nuncupamus, & Magnis Etruriæ Ducibus paret, inter illustres ejus Urbis Cives recenset Clar. Præsul ac Scriptor *Antonius M. Gratianius* [*b*]; Eumdemque in Philosophicis Disciplinis, Pisis ac Patavii, floruisse memoriæ prodit. De Patavino tamen Gymnasio mihi certo non liquet; de Pisano autem nullus dubito; occurrit enim primo sub

[a] *In d. Collet. Arbor. Genealog. Lib. B. pag. 71., & in Serie Prior. Mſ. in Biblioth. Maliab. pag. 161.*

[b] *De Scriptis invita Minerva Lib. 1. pag. 41.*

anno 1489. Logices Extraordinarius Professor, & *Jo. Martellinio*, de quo nuper egimus, Collega datus; cumque renuerent invicem eam Litterariam Pugnam subire, quam vulgo *Circulum* appellamus, constat, Scholasticæ Mulctæ metu, ad congrediendum adactos [*a*].

Collega etiam usum, sub anno 1492., *Cæsare Petri de Ditiatis Neapolitano*, ad Philosophiæ Cathedram, ut moris est in hoc nostro Athenæo, extra ordinem, cum Floren. 40. deinde sub An. 1504. cum Flor. 150., ad Ordinariam Philosophiæ promotum, ex nostris Academicis Actis apparet [*b*], in qua saltem usque ad 1521., perstitisse, & exinde, & ex aliis Biturigensium Rerum Conditoribus *Philippo Patre* genitum, & Vexilliferatus honore anno 1501., pro sua illustri conditione, functum eruimus [*c*].

Jo-

[a] *Volum. IV. Rer. Stud. in Tabul. Reform. pag.94.sub D.12.Decembr.1489. pag.217., & Lib. V. pag. 93., & 95.*

[b] *Memorial. præd. Reform. in Clas. Philos. sub an. 1492. sub an. 1502. 504. 521., & Miscel. Sum.*

[c] *Petr. Farul. in Annal. d. Urb. S. Sep. pag. 65. & 113.*

Johannem Franciscum Gennarium alterum; sed longe posteriorem, & Jurisconsultum, commemorant, qui Vicarii munus in Patria obiit; & post alia Munia Romæ gesta, apud *Ferdinandum Austriacum*, Nuncii partes substinuit: sicuti Seniorem *Petrum*, Theologum eximium, & Aletinum Episcopum [*a*]; sed hi ad nos, ex Instituto nostro proprie non pertinent.

§. XIX.

FR. *Galganus*, ex Ordine Minorum D. Francisci, Senis, aut certe in Senensi Ditione natus circa annum 1458., ex Familia *de Augustinis*, ut ex nostris, & ex monumentis inclyti ejus Ordinis, accepimus [*b*], postquam in Romano ceterisque Cœnobiis, ingenii doctrinæque suæ plurima experimenta præbuisset; jamque Magisterii Titulis

f iv fuis-

[a] *Ibid. pag.* 56. *& seq. ex Alex. Borac. &c.*

[b] *Memor. Reform. ab anno* 1488. *pag.* 45. = *Fr. Antonius a Terinca Theatr. Minorit. P.* 3. *Tit.* 1. *n.* 67. *pag.* 302.

fuisset ornatus, ad Philosophiam in Patria Senensi Universitate, extraordinario loco docendam honestis conditionibus fuit accitus (*a*). In cultissima illa Urbe, omnium votis comulatissime satisfaciebat decurrente anno 1488., cum *Bernardino de Cherichinis*, eximio quondam Professori nostro, de quo jam egimus (*b*), placuit apud Florentinos Studiorum Præsides Officia sua interponere, ut Ordinaria Philosophiæ Cathedra Pisis donaretur. Precibus obsecundatum anno, quem excurrimus 1490. (*c*)

Neque Electionis eos pænituit suæ, tum ob ea, quæ in hoc Magisterio viriliter præbuit; tum ob ea, quæ in Theologica Cathedra præstitit, ad quam, inspecta summa ejus peritia, placuit anno 1498. *Galganum* ipsum evehere (*d*).

Quæ in Theologicis scripsit, delitescunt adhuc; recens vero Testimonium

(a) *D. Lib. Reform. sub d. an. & loc.*

(b) *In Opusc. nostro, cujus Tit.* Collectio *&c. pag.* 50.

(c) *In Præd. Tabul. & Ser. Philos. d. an.* 1490.

(d) *Præter Monum., de quibus supra, Hieron. Summar. in Miscel.*

nium habetur in Florentina *Salviatorum Principum* Bibliotheca, Philosophicum Opus reperiri in Membranaceo Codice descriptum cum hoc Titulo = *Gargani Senens. Ord. Minor. de Ratione subjecti Generis subijciendique causæ ad Jacob. Salviatum Virum Clarissimum, & doctissimum an.* 1493. [*a*] In alio autem genere typis edidit Libros duos *de Auctoritate Protectoris Ordinis* [*b*].

Mæcenatum præd. Ordinis, aliorumque Religionis Clavo sedentium fuit postea, sicut antea fuerat, ingens cura, ac sollicitudo, porrecta sibi opportunitate, eum præcipuis Muneribus cohonestare: inter quæ Generalis Commissarii Dignitatem cum laude ab eodem gestam invenio [*c*].

Non defuisset certe Episcopalis; sed invido fato præreptus, anno circiter 1523. decessit [*d*].

[a] *Angel. M. Bandin. prælaud. in Specim. Litter. Flor. T.* 1. *p.* 163.

[b] *Luc. VVading. de Scriptor. Ord. pag.* 143.

[c] *Præcit. Anton. Terinc. ibid.*

[d] *Ibid., & non sine mendo, Isidor. Ugurger. P.* 1. *Tit.* 14. *Pomp. Senens. num.* 50.

In Archivo Reformationum Florentinarum, hæc in ipsius commendationem legitur Epistola, *Johanni Cardinali Mediceo*, ab Officialibus Studii, quorum Præposituram gerebat sub Die 21. Decembris anno 1499. *Jo. Nesius*, data = *Reverendissime in Christo Pater ac Domine noster Singularissime*. =

,, Cum Magister Galganus Ordi-
,, nis, ut scis, Minorum, & vitæ
,, probitate, & omni Virtutum Do-
,, ctrinarumque genere ornatissimus
,, in nostro sit Florentino hoc, at-
,, que etiam Pisano Gymnasio plures
,, annos summa cum laude versatus
,, tum Sacrosanctæ Theologiæ Miste-
,, ria publice interpretando, tum
,, Universam Philosophiam nostris
,, Civibus enarrando, non possumus
,, talem & Religionis pariter & Sa-
,, pientiæ Professorem, tamquam de
,, Nobis benemeritum Tuæ Reve-
,, rendiss. Dominationi non commen-
,, dare. Rogamus itaque Te etiam
,, atque etiam, ut probum hunc Vi-
,, rum tam Græcis, quam Latinis
,, Litteris excultum Tuo excipias
,, sinu, ejusque honestissimam sane
,, causam, in qua de sua agitur Di-
,, gnitate, toto, ut ajunt, pectore
,, suscipias, atque adeo ut is reipsa

,, in-

„ intelligat noſtras apud Te commendationes non fuiſſe vulgares. „ Vale (*a*).

§. XX.

JOhannes *Bernardi de Bongirolamis*, illuſtri Proſapia, quam ſibi ante dimidium Seculi XVI. ademptam (*b*) adhuc Florentina Urbs, & Sanctior Juriſprudentia luget, ad Elementa Juris Civilis cupidæ Legum Juventuti tradenda, Juvenis & ipſe 26. circiter Annorum, cum Emolumento 25. Floren., ſub Anno 1491. publice deſignatus invenitur: quo eodem tempore, quum ad id Muneris aſſumpti Duo Siculi Profeſſores pariter reperiantur; *Thomas* nempe *Garoforus*, & *Vincentius Solima*, collatis horum progreſſibus, apparet nulli Æqualium ingenii, ac induſtriæ laude conceſſiſſe (*c*).

Porro, niſi ſuis Ipſe meritis in hoc, aliiſque Officiis inclaruiſſet, ut

 inſe-

[a] *Ex Lib. V. Rer. Stud. pag.* 60.

[b] *Arb. Genealog. Familiar. Florent. in Arch. S. C. M.*

[c] *Memor. Reform. ſub An.* 1491. *in Catal. Inſtit. Civil. &c.*

inferius oſtendemus, habuiſſet quod in ſeniore *Johanne* Avo, Advocato præſtantiſſimo, præcipuis Patriæ Muneribus egregie functo [*a*]; nec minus in *Bernardo* Patre, gloriari poſſet. Ob prudentiam, doctrinam, facundiam, qua Is mirifice præſtitit, Unus e numero præſtantiorum Civium fuit, qui ad impetrandam a Siſto IV. Rom. Pont. præſentaneam Abſolutionem a Cenſuris, quibus, ob notiſſimas cauſſas, illaqueata Florentina Civitas fuerat, opportuna Legatione miſſi fuerant, ut in *Lib. de Temporibus Matthias Palmerius memoriæ mandavit* (*b*).

Prælaud. *Bernardi* integritati peritiæque acceptum referre poteſt Piſanæ Primatialis Eccleſiæ Ærarium, quod in Cenſum Bonorum ſuorum, relatas viderit notabiles Terræ quantitates, quæ penes alios detinebantur; electus enim Is, cum *Laurentio Petri Coſmi Patris Patriæ de Medicis*, inter *Antonium Jacobi*, prædictæ Majoris Eccleſiæ Ædituum, ex una, & inter

(a) *Scip. Ammir. in Hiſtor. Florent.*, & *Joſ. Mannius in Ser. Senator. Florent.*

(b) *Ad Annum* 1480.

inter *Nicolaum Francisci de Tornabonis Civem Florentinum*, ex altera parte, Arbiter, unanimi consensu, arbitrati sunt, definieruntque controversa bona ad præd. Ecclesiam pertinere: cujus Sententiæ tenor, quam Laudum, Forensi vocabulo, nuncupant Nostri, per extensum legitur in una ex innumeris fere Chartis Pergamenis, quæ in Archivo præd. Operæ asservantur sub n. 3356., juxta novam, exactioremque Seriem, ad quam ipsas diligentissime redegit, recens Æditimus *Franciscus Quarantottus* a nobis alibi laudatus. Data vero eadem Sententia apparet Florentiæ sub Die 16. Decembris Ann. 1473. ex Rog. *Hieronymi Ser Johannis Ser Tadæi dal Colle*; in ea Testibus adhibitis *Dominico Jacobi Nucci Cive Florentino*, *Andrea Matthæi Masthiani Cive Pisano*; *Ser Adamo Philippi Jacobi de Pistorio*; *in Ædibus Mediceis*, *in Capella S. Laurentii positis*: quas hodie Marchiones *Riccardii* splendide inhabitant.

Verum, hisce Majorum præclare gestis, non ad segnem, & inutilem gloriam, sed tamquam instrumentis & calcaribus usus, propria virtute, sibi singulare decus parandum existimavit. Hinc, ab hac Gymnasii umbratili

bratili militia, in Forensem pulverem aciemque delapsus, tam strenue in hoc Agone dimicavit, ut dignissimus plane visus fuerit, qui ad majora promoveretur. Vexillifer itaque factus, nec sine laude expleto Munere (*a*), ubi data facultas, in Album Quadraginta & Octo Virorum, fuit relatus, quos *Senatores* appellamus [*b*] Urbanis adjecta sunt externa quoque Gubernia : quæ quamvis, ut plurimum, sorte conferri solita, non nisi tamen probatissimis, sortis obeundæ facultas data; Prati videlicet, Volaterrarum, Pistorii, ut apud præallegatos Rerum Conditores habetur.

Optandum mehercle fuisset, ut & Prætura frueretur in hac Pisana Urbe, ubi, in prima juventa, tot virtutis, ac probitatis radios effuderat; sed senio jam gravis ac valetudinarius (quæ nostra humana conditio est) die 25. Febr. An. 1541. vitam cum morte commutavit.

§. XXI.

---

[a] *Scip. Ammirat. Lib.* 30. *Histor. ad An.* 1525.

[b] *Id. ad An.* 1532. *& seq.* = *Jos. Man. in præd. Ser. Senat. Florentin. pag.* 22.

§. XXI.

LAurentius *Francisci de Tuccis* Florentiæ honestissimo loco natus, in Pisano Athenæo, cum *Raphaele Bernardi del Facbino* Anno 1491. & biennio post cum *Ludovico Ricciardi Volaterrano* Logicam; deinde Pilosophiam Anno 1494., Medicinam postremo, Anno 1498. auctis congrue stipendiis, publice edocuit (*a*).

De Laurentio nostro, si, usquam de alio quovis, jure meritoque statui potest, quod Honor Prioratus, quo Florentiæ ipsius Majores functi sunt, nullatenus Ei contemptum illius gloriæ ingeneraverit, quæ ex cultura bonorum artium adquiritur, aut augetur; sicuti nullatenus Medicinæ docendæ, faciendæque exercitium impedimento fuit, quominus præcipuorum Patriæ Munerum compos & ipse fieret (*b*); ejusdemque Posteri, delato sibi præclarissimorum Magistratuum, creditoque insignium Locorum Guber-

[a] *Memorial. Reform. sub præd. Ser. & Annis.*

[b] *Catal. Prior. in Biblioth. Maliab. p.* 151. *Squitin. An.* 1524.

Gubernio cohoneſtarentur (*a*); quin & in Cenſum Equeſtris Militiæ D. Stephani, paulo poſt conſtitutum ſplendiſſimum hunc Ordinem, priſca ætas cooptatum ſubſpexit *Jo. Franciſcum ex Jo. Maria Tuccio*, & *Maria Caſſandra* de *Franciſcis*, Laurentii noſtri nepotem, ad Patriæ, ad Gentis ſuæ, cognatarumque Familiarum *de Bonagratiis*, *de Paganellis*, ſua jam luce coruſcantium ornamentum (*b*).

Enitet in eadem *Tucciæ ſtirpis* Arbore, Senior, & Junior *Simon* Doctorum hominum lauro exornatus; & ad alterutrum certe pertinet ſepulcrale monumentum, anteacto Seculo ab heredibus inſtauratum, in Veſtibulo Lateralis Januæ Eccleſiæ Florentinæ S. Trinitatis PP. Valumbroſanorum, qua ad Sacrarium itur, cum peculiari Gentilitio Inſigni *Salientis Leonis*, & hac Epigraphe = *S. M. Simone di Tuccio* (*c*).

An ad Familiam hanc ſpectet *Marianus*

(a) *Memor. Ter. Cutilian.* Athanaſ. Farinat. *Edit. Luc. An.* 1739.

(b) *Proceſ. Juridic. in Arch. Piſ. Relig. in Vol. ab An.* 1571. *ad* 75. *n.* 48.

(c) *Abb. Benign. Davanz. in Hiſtor. Ms. Abb. n.* 86.

rlanus Pauli de Tuccis, ſubſequenti Seculo, Poeticæ, & Oratoriæ Profeſſor eximius, operoſioris inſpectionis erit, quam interim in id tempus opportune reſervamus.

§. XXII.

Auſpicatiſſimum in Juriſprudentia nomen in Sacro Baptiſmali Fonte ſortitus *Baldus Franciſci Inghirlani*, nobilis Civis Florentinus (*a*), non æqualem certe, ſed non mediocrem Juris, & præcipue Canonici, ſibi ſuo ſtudio atque exercitatione, notitiam comparavit: quam in hoc noſtro Lyceo protulit, ejuſdem Facultatis anno 1492. Lector Publicus inauguratus (*b*).

Ad annum uſque 1504., vitam cum Dignitate protraxiſſe, ex Archivo Florentino Medicorum Pharmacopolarumque, evidens eſt [*c*]; & exitu ſecuto, ſub die 20. April. in Laurentiana Æde tumulatum, ubi & Majorum

[a] *Lib.* 2. *Doctor. Archiep. Cur. pag.* 242. *& ult.*

[*b*] *Rotul. d. ann.* 1492. *in Arch. Pub. Reform. &c.*

[c] *Lib. Emort. pag.* 182.

jorum Sepulcretum extitisse; monimenta insignis illius Basilicæ commostrant; (*a*) nec multo ante, ejusdem Baldi Filiam ibi repositam. Aliam Fœminam, ex Filio Neptem, nomine *Dejanoram*, matrimonio junctam nobili in primis viro *Bernardo Minerbettio* Arbor Gentilitia prodit [*b*]; unde etiam constet illustrem hanc Familiam paulo post extinctam, atque inter Cognatos avita bona, Testamentario Jure, transivisse (*c*).

§. XXIII.

QUantum conspicui nominis, tantundem infelicis exitus fuit, atque idcirco a *P. Valeriano*, si eidem suisque Addentibus innotuisset, jure meritoque deplorandus (*d*) *Franciscus Malchiostrius* Parmensis Civis, qui anno 1492. Pisanum Scolasticum Cœtum Juris Canonici Lector Extraordinarius, & triennio post,

(a) *Steph. Rossel. in Ms. Sepulcr. d. Eccles. n.* 76.

(b) *Apud Nicol. Manajonum Inghirlanium J. V. D.*

(c) *Ex Rogit. Ser Andreæ Lapini, & N. de Saracenis Notar. Capitolinum.*

(d) *In Opere de infelici Litter. fine.*

post, Juris Civilis Antecessor erudiit (*a*).

Patavinæ quoque Civitati multifariam profuit, Docendo scilicet, *Bartholomæi Soccini*, *Jasonis Mayni*, & *Antonii Porcellini*, jam pridem ipsius Auditoris, Collega non ignobilis (*b*), & Clientibus quoque Forensem operam locando, plures edendo Consultationes, in quibus mira Legum scientia commendatur.

Utile opus aggressus quoque fuisse dicitur, *Glossemata* videlicet *eruditissima in eas Novellas*, quæ extra Corpus Juris vagantur, sicuti in *Authentica Justiniani*, *commentarios egregios* elucubraverat. Editi perhibentur Hi; verum cum a Clariss: Viris *Petro Brossæo*, & *Cunrado Rittershusio* in *Expositione Methodica Novellarum*, (*c*) nedum non allegentur, sed nec recenseantur, vereor, ne publicam lucem contra id quod *Papadopolio* suasum est, aspexerint.

Infaustum, quem superius attigi, Ejus finem Sepulcralis hæc, in Templo

(a) *Catalog. Publ. Jur. Professor. sub præd. ann. in Tabular. Reform. &c.*

(b) *Nicol. Comn. Papadop. Gymnas. Patav. T. I. L.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 14.

(c) *In Præf. Interpr. Nov. &c. c.* 4.

plo *Eremitarum D. Augustini*, Inscriptio patefacit ⥫ (*a*).

„ Francisco Malchiostrio Jurisconsulto Parmensi Clarissimo in Patavino Gymnasio publice profitenti Sicarii manu crudeliter extincto Brocardus Malchiostrius frater mæstiss.
„ P. MDVII. Die Octob. VII.

§. XXIV.

MUltiplicis eruditionis fortunæque virum, ac ferme excidit calamo multiplicis Patriæ, nominis, Agnominisque in uno Professore, nunc exhibemus, ad explicandas simul Metaphysicas Theologicasque Disciplinas, cum annuo stipendio Floren. 130., anno 1493. in hac Pisana Academia conducto, [*b*] nempe in *F. Georgio*, penes alios *Gregorio Benigno*, vel *Benignino Ordinis Minorum D. Francisci* [*c*] quam nomi-

---

[a] *Guid. Panzir. de Clar. Lib. 2. c. 128., & longe accuratius Papadop. ex Salomon. Inscript. Patav. n. 69.*

[b] *Volum. V. Rer. Stud. pag.* 100. *in Florent. Arch. Reformat.*

[c] *Anton. Mongit. in Appendic. I. ad Bibl. Sicul.* ⥫ *Carol. Cartar. in Syllab. Advoc. in V.* Jul. Benign. ⥫ *Abb. Ughel. T. 2. inter Call. & T. 7. inter Nazzar.*

nominis diversitatem, ex *Wadingo*, animadvertunt etiam *Actor.Lipsiensium* Scriptores eruditissimi (*a*).

Quemadmodum olim *Smyrna*, *Rhodos*, *Colophon*, *Salamin*, *Chios*, *Argos*, *Athenæ* Homerum sibi, Patrio jure, vindicarunt (*b*), ita Cœnobitam hunc illustrem Græce Latineque doctum, in Philosophicis, divinisque Rebus apprime versatum, quamvis aliquibus infortuniis aliquamtisper obnoxium, Ragusenses, Urbinates, Syracusani, Florentini &c., tamquam suum, agnovere (*c*).

Re tamen vera, prout in Epistola, Reipublicæ Florentinæ nomine, ad Magnum *Turcarum Regem* scripta habetur, quam delitescentem adhuc apud *Jo. Baptistam Dejum* Archivo Secreto S. C. M. Præfectum, aliis de Religioso

hoc

(a) *Ephemer. Litter. an.* 1743. =

(b) *Jacob. Sinc. Sanaz. in lib. Epigram.*

(c) *Vid. Cæl. Lamprid. Ragusin. in Epigram. ad Op. de Natur. Angel.* = *Petr. Rodulph. in Histor. Seraph. lib.* 3. = *Hippol. Marac. in Bibl. Mar. T.* 1. = *Ferd. Ughel.*, *Mongit.*, & *Cartar. d. l. Luc. VVading. de Scriptor.*, & *Annal. Vol.* 8. = *Jul. Negr.*, & *Mich. Pocciant. de Script. Flor.* = *Ant. Terinc. in Theat. Minor. P.* 2. & 3. = *Luc. Jos. Cerach. in Fast. Theolog. Univ. Florent.*

hoc viro prolixius acturis, Publici Juris faciendam relinquimus, *Jacense Oppidum in Bosnia* Ei Patria fuit, ac *Georgius Drachsich* propria ipsius denominatio (*a*).

In obsidione direptioneque earum Regionum, per immanissimos Turcas, impie facta, ut ipsemet proprio calamo testatur (*b*) *Ragusam* puerulus adhuc delatus, cœpit bonis Artibus ac Disciplinis informari, indutoque deinde sacro *D. Francisci* habitu, diversas Ordinis Academias, Oxoniensem, Parisinam, Romanam, Bononiensem, Papiensem, Ferrariensem, Studiorum causa, perlustravit, (*c*) contractoque Parisiis cum celeberrimo *Bessarione Cardinali*, arctissimo Clientelæ fœdere, tantam apud ipsum, suavitate morum, [ob quam Ei *Benigni* cognomen inditum] Doctrinæque præstantia, gratiam iniit, ut minime dedignatus sit officiis quam validis curare, ut Græcæ Nationis nomine, apud quam plurimum auctorita-

te

(a) *D. Cod. Pergam. pag. 57. & 133. t.* = *Petr. Lucasius in Compend. Annal. Ragusin. lib. 4.*, *& Razz. lib. 2.* = *Id. Georg. in Op. Prophet. Solut. P. 2. cap. 1. &c.*

(b) *In Præfat. Oper. de Natur. Angel.*

(c) *In Epist. Nuncup. Dialect. Rom. edit. anno 1520.*

te valebat, Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalis efflagitaretur [a].

Re autem infecta, *Bessarione* mortuo, non minorem *Georgius* apud Urbinatem Ducem *Fridericum*, ejusdemque Filium *Guidonem Ubaldum*, ejus Disciplinæ, & institutioni commissum, benevolentiam iniit; quamobrem Civium Urbinatum Jure donatus, & in nobilem *de Felicibus* Familiam translatus, secundum hoc de *Felicibus* adscititium Cognomen assumpsit, pro quo, aliquoties in Historia noscitur [b].

In Florentina quoque Urbe, maximo in pretio fuit ejus doctrina, quare *Jo. Cardinali Mediceo* præceptor in Theologicis datus [c] universam Familiam, opibus ac dignitate præpollentem, cognatasque Familias sibi devinxit; atque ex hisce præsertim *Salviatam*, itaut, si non legitimo Adoptionis Jure, singularis saltem cujusdam Paternæ Beneficientiæ intuitu, *Fr. Georgius Benignus de Salviatis* vocitaretur, & etiam nunc hic & illic ap-

appel-

(a) *Franc. Anton. Sassolin. Minorit. in Lib. cui Tit. Illuminat. Conscient. cap.XI. & ult. de Contrit.*

(b) *In Fast. Theolog. Luc. Jos. Cerach.*

(c) *Prælaud. Terinc. in Theatr. Genealog. P. 2. Ser. 2. &c.*

pelletur (*a*): ea prorsus ratione, qua *Franciscus Archipræsul Salviatus*, ob notissimam cum Sisto IV. ceterisque *Riariis*, Officiorum communicationem, *Franciscus de Riario* quandoque nuncupatur (*b*); & *Jacobus Cardinalis Ammannatus*, quandoque *Piccolomineus* (*c*).

Hinc Florentina Pisanaque Cathedra; præcipua Concionatorum Rostra per ipsum occupata; hinc ejusdem progressus per principes Religionis suæ gradus cum Florentiæ, tum Senis, tum Cortonæ. Cum autem, in his Muneribus obeundis, austerioris fortasse disciplinæ insimularetur, hinc validissimum pro eo tutando, nedum privatum, sed & publicum Gubernatorum patrocinium: quod in præallegato Mss. Epistolarum Codice, ex Epistola quadam ad *Alexandrum Braccium* transmissa, luculenter innotescit (*d*).

Quum

(a) *Monum. Ms. in Biblioth. Magliab. Cod. 13. Plut. 9. n. 20. = Petr. Galatin. in Opusc. advers. Judaic. Obstinat. = Ubertin. Risalit. in Epist. ad Op. de Nat. Angel. = Anton. Sassol. in Præf. d. Op. ad Jacob. Jo. Salviat. & cap. 10. & 11. &c.*

(b) *In lib. 2. Doctor. Pis. Archiep. Tabul. pag. 3. & seqq.*

(c) *Jo. Albert. Fabric. Biblioth. Med. lib. 9. p. 39. 61.* (d) *Pag. 57.*

Quum vero Noster hic, in difficillima *Hieronymi Savonarolæ* tempora incidisset; a cujus, præter expectationem, steterat, partibus, ut indicat ejus Libellus, cujus Tit. *Propheticæ Solutiones*, & Octovirali Potestate potiti fuerint Antisavonarolæ nonnulli, extra Florentinum Territorium exul abire coactus fuit, ut etiam ex nostris Scholasticis Actis, sub anno 1500., palam fit [*a*]. Non idcirco tamen minus apud suos, de externis hisce minime sollicitos, existimatione polluit; quare in Reformandis Synodalibus Constitutionibus, ejusdem opera usi sunt (*b*).

Immo assumpto paulo post in Romanum Pontificem, sub nomine Julii II. ex eodem Ordine Minorum *Juliano Roboreo*, cujus Familiæ maxime addictum fuisse superius ostendimus, & ipsemet in Dedicatione suæ Dialecticæ *Leonardo Roboreo*, S. R. E. Cardinali facta, fuse prosequitur (*c*); oblataque subinde Eidem occasione strenuæ Defensionis conscribendæ pro *Francisco M. Duce Ro-*

(a) *Lib. V. Rer. Stud. in præcit. Reformat. Tabul. sub d. an.*

(b) *Ex Annal. Wading. recent. Ordin. Scriptor. Nubius, atque Benoffius alibi prælaud.*

(c) *Edit. Rom. an.* 1520.

boreo ipsius *Julii* Nepote, qui *Cardinalem Franciscum Alidosium* interfecit [*a*], ipsum Supremum Ecclesiæ Moderatorem, fautorem habuit impense munificum; seque ab eo ad *Calliensem Episcopatum* primo promotum, & in Concilio Lateranensi V. adhibitum; mox ad *Nazzarenum Archiepiscopatum* evectum vidit, ut Ipsemet in prælaudata Nuncupatoria totidem verbis in obsequii gratique animi significationem, testatum reliquit: incuriæ nihil tale cogitans, eos redarguens, qui mortuo *Julio*, ab ejus Successore *Leone* X. Georgii quondam discipulo, in ea Sede locatum fuisse narrant; multoque magis eos, qui, turpiori Anacronismo, Anno 1533. (qui ad Pauli III. tempora pertinet) ad postremam hanc Dignitatem evectum scripsere (*b*).

Ad annum circiter usque 1518. *Georgius* noster in ea Dignitate superstes fuit; vulgavitque paulo ante occubitum, Typis Romanis *Jac. Mazzochi*, prælaudatum Opus inscriptum *Artis Dialecticæ Præcepta Vetera, ac Nova*. Antea vero *Quæstiones de Natura Angelica*

(a) *Franc. Gonzag. de Orig. Seraph.* — *Ughel. in d. Ser. Call. n.* 50.

(b) *Præter Terinc. & Ughel. d. l. Morer. T.* 3. *ult. edit. an.* 1743.

lica ediderat Reipublicæ Ragusinæ dicatas (*a*). = *Solutiones Prophet.* supra laudatas, seu *Dial. Apolog. pro Fr. Hieronym. Savonarol. ad Hubert. Ger. Risalit.* (*b*) = *De Septuaginta Septem Mirabilibus &c. inter Opusc. Mag. Nicol. Ordinis Præd. ad Magnanim. Laurent. Medic.* [*c*] = *Contemplat. Christian. ad Franciscum I.*, scilicet *Roboreum*, de quo supra [*d*].

Conradus Gesner. in sua Bibliotheca aucta per Josiam Simlerum, & Jo. Jacob. Frisium amplificata (*e*), Hæc quoque commemorat = *Vexillum Christianæ Victoriæ* = *De Assumptione B. M. V.* = *Defensionem pro Jo. Reuchlino cum Præfat. Herman. Nuenar. & Martin. Groning. Bremens. J. C.* = *Apolog. pro Duce Franc. M.* Roboreo An. 1507.

Meminit *Antonius Saxolinius*, unus ex celebrioribus ejusdem Discipulis, Alumnis, & Scriptoribus, de alio Ip-

[a] *Præd. VVading. T. VII. ad an.* 1496. & *Terinc. in Theatr. P.* 2. & 3.

[b] *Edit. Flor. An.* 1497 *per* Laur. de Morgian.

[c] *Inter Schedas Cinellian. ap. Clar. Canon.* Biscion. *Laurent. Præf.*

[d] *Aloys. Morer. in d. T.* 3. *postrem. Venet. Edit. in V.* Benigne.

[e] *Edit. Tigur. An.* 1583.

sius Opere, quod ignoratur, an & ubi lucem adspexerit, videlicet in *Quatuor Sententiarum Libros* (*a*); & procul dubio, Mſ. in *Bibliotheca Laurentiana*, videre datur Ipsius *Opusculum ad Laurentium Petri Cosmi Medicis in Septem Quæstiones ab eo propositas*, *cum aliis exiguis elucubrationibus* (*b*).

Illud certum, quod Opus præd. de *Angelica Natura*, semper & ubique præcipuum habitum est.

Liceat hic, pro Coronide, uberius & emendatius, quam apud *Pocciantem*, proferre id, quod *Damianus Benessius Ragusinus* in Operis prædicti, & generatim in Auctoris laudem, edidit Epigramma.

„ Ecce quod extremis Scotus fuit
„ ille Britannis;
„ Doctus quod Mauris Aureliusve suis:
„ Quodque Dalmaticis ardens Hie-
„ ronymus undis;
„ Quod Senonum Populis Am-
„ brosiusque pius,
„ Illud idem nobis nunc Tu, *ve-*
„ *nerande Georgi*

„ Illy-

(a) *Idem Saxol. in præcit. Lib. Illum. Consc. cap.* 11.

(b) *Plut.* 83. Cod. 18. *atque ex eo Montfaucon. in Biblioth. Bibliothecarum*.

„ Illyrici fateor gloria magna
„ Soli.
„ Intima perpetui Tibi nam secre-
„ ta Tonantis,
„ Et datur Angelicos cernere
„ mente choros.
„ Tu bonus, illustris, sapiensque,
„ gravisque *Benignus*
„ Dictus es, & nostro tempore
„ ubique pius;
„ Tuque Fluentina cantatus in
„ Urbe fuisti:
„ Te, similis Laurens Cosmi,
„ amavit Avi.
„ Nicænus Sophiæ Te fovit ama-
„ tor honestæ,
„ Te Dux Urbini Martis in ar-
„ te furens.
„ Defuit ergo nihil, quod posset
„ habere Viator.
„ Quæ data sunt vivis, omnia
„ parta Tibi.

§. XXV.

FRancìscus Remolinus Hispanus, fama potissimum *Philippi Decii Mediolanensis* illectus, studiorum caussa, Pisanas hasce nostras Athenas appulit (*a*), ubi in Jure Pontificio

(a) *Vid. nostrum Opusculum, cui Titulus* Recensio *pag.* 41.

notabiles adeo progressus habuit, ut oblata Gymnasiarchis, sub anno 1493., Canonicæ Facultatis Cathedram conferendi opportunitate, non renuerint; immo expediens admodum duxerint eruditissimo Juveni, in quo externum quoque Avitæ nobilitatis decus enitebat, unanimi consensu, eam conferre (*a*).

Per breve temporis intervallum, constat in hoc Academico Munere perstitisse; reversumque in Patriam, Matrimonii vinculo copulatum: quo postea dissoluto, per ingressum Uxoris in Religionem, cœpit sacris operam dare, & primum Archipresbyteratu S. M. Majoris de Urbe insigniri (*b*).

Notior interea *Alexandro VI. S. P.* redditus, cui fuerat Nationis vinculo conjunctus, gradatim in Forensibus Curiæ Romanæ officiis adhibitus est.

Notum est in Historia *Fr. Hieronymi Savonarolæ* Judiciale Examen *Remolino Nostro*, Florentiam in id accersito, commissum, & subsequens ipsius

(a) *Memor. Florent. Reform. sub d. an.* 1493.

(b) *Alphons. Ciaccon. in Vit. & Gest. S. P. necnon S. R. E. Cardinal. T.* 3.

ipsius *Savonarolæ* degradationis ac mortis ferale Decretum (*a*).

Surretinam Ecclesiam, quam ab eodem S. Pontifice nactus fuit, religiose non minus quam munifice administravit ab anno 1501., & *in Æde sub Tit. SS. Philippi, & Jacobi Minoris*, quam amplificavit, publicum monimentum ejus Munificentiæ positum extare perhibetur (*b*).

Urbis Romæ Gubernio interim potitus, utrique per interpositam personam par esse potuit, donec ea Ecclesia, post Decem circiter annos, *Gisberto* ex Fratre Nepoti renunciata, post ultroneam abdicationem aliis Ecclesiis, *Ilerdensi*, *Firmana*, ac *Perusina* insignitum accepimus, & demum Panormitano Archiepiscopatu, & Cardinalitia Dignitate, in qua, post gestam quoque bis, pro Catholica Majestate, *Proregis Neapolitani* celsissimam personam (*c*), anno 1518., inevitabile debitum Humanæ

g iv Na-

(a) *Franc. Guicciard. Histor. Ital. lib.* 3. *in fine* = *Scip. Ammir. lib.* 27.

(b) *Abb. Ferd. Ughel. Ital.Sacr.Tom. V. in Ser. Surrentin.*

(c) *Doct. & Eq. Mugnos in Theatr. Orb. Nobilit. pag.* 320. *Prælaud. Ughel. cum Add. ibid.*

Naturæ persolvit (*a*). Quod de Ipsius Sepultura, antequam penitus animam efflaret, traditum est, ob futilem probationem, quæ profertur, inter alias aniles fabulas amandamus (*b*).

§. XXVI.

IDoneum maxime virum, neque solum in Civilibus, verum & in Canonicis apprime versatum, anno 1493. inter Cæsarearum Institutionum Interpretes retulere *Johannem Bosellum Mutinensem*, ut Academici Fasti ipsius anni nobis evidenter exhibent. Biennio post ad extraordinariam *Juris Canonici Cathedram* evectum intuemur, cum tenui augmento Floren. viginti quinque, quos ab initio consequutus fuerat; & patet signanter anno 1498., *Sextum & Clementinas* enucleasse (*c*).

Non multo post Ferrariam, Publici Professoris partes obiturum, commigrasse, ex *Ferrariensi Borsetto* ediscimus (*d*).

An

(a) *Præcit. Ciaccon. ibid.*, *videlicet in Vit. Alex. VI.*

(b) *In Vit. Leonis X. apud ipsum Ciaccon.*

(c) *Lib. V. Deliberat. Stud. pag.* 54. *&* *Memor. sub d. an.* 1493. *&* 98.

(d) *Part. II. Lib.* 2. *Histor. Gymnas. Ferrariens. sub an.* 1503.

An idem sit, qui super *Consuetudines Pictavienses* Opus elaboravit (*a*); & in ea Galliæ Academia professus fuerit, adhuc ambigimus. Nomen, Cognomen, Patria, Professio, id facile suadent. Ocularis inspectio prædicti Operis, quod adhuc irrepertum nobis est, forsan aliquando demonstrabit. Interim, conijciendo magis, quam asserendo, Nostrum hunc opinamur esse *Johannem* illum Francisci Filium, quem *Domn. Cyprianus Bosellius* Monachus Olivetanus, in sua *Austria Anicia* (*b*), a *Cardinale Julio Mediceo, S. R. E. Vicecancellario*, postea sub nomine Clementis *VII. Pontifice O. M.*, famulatui suo adscriptum, & dirimendis definiendisque causis deputatum, Romanæ Curiæ commodo, miseranda morte sublatum indoluit: fertur enim calce Mulæ suæ impetitus, & in Fovea, quæ Romæ prope *S. Luciæ* Ecclesiam, vulgo in *Chiavica*, alias *del Confalone* nuncupatur, non tam inopinatam mortem, quam indecens sepulchrum invenisse; a quo tamen extractus,

g v nunc

(a) *Augst. Font. in Bibl. Legal. T. I. P. I. & in Syllab.* 15. *&c.*

(b) *In Add. ad Add. pag.* 1045. *num. marg.* 23. *Edit. Mediolan. an.* 1680.

nunc ante Majorem ejusdem Ecclesiæ Aram, cum hoc Epithaphio jacet, quod mihi perhumaniter exscripsit, alibi commemoratus vir, non tam in hoc Sepulcralium Inscriptionum genere, quam in omni Antiquitate peritissimus *Domn. Petrus Aloysius Gallettius Monach. Cassinens. in Florent. Monaster. Philosoph. Profess.* atque ita se habet

D. O. M.

Si Mulam & Mulæ meæ Partum more Antiquorum perdidissem non hic forsitan tam cito Prodigiorum exemplum jacuissem

Joanni Bossellio Mutinensi FF. Protonotario Apostolico Ab Audiendis Litibus Julii Cardinalis Medices Vice Cancell.

Jure Consultiss. Dominicus Bossellius Carissimo Consanguineo Posuit Anno MDXIIX. Die V. Maii.

§. XXVII.

V*Erius Tanai Filius*, e *Florentina Medicea Prosapia*, paulo ante Pisanam Defectionem, ut Civilis Doctrinæ, specimine præbito, ad majores in Republica honores, sibi gradum substerneret, non inopportunum existimavit in hac nostra Academia, Tyrocinia jacere, ab Anno 1493., per id tempus, quo Studium Pisis constitit, Cæsareas Institutiones profiten-

ſitendo, cum exiguo licet ſtipendio Florenorum vigintiquinque (*a*).

Pratum, etiam ipſe conceſſit, ubi in Diplomate, alibi a nobis edendo, *Hieronymi Calvi* Doctoratus Lauream aſſequentis, Provicarii Munere functus reperitur; nec multo poſt, cum Univerſitate huc, illuc jactata, Patriam remeavit, ubi ſub anno 1503., Extraordinarias Materias, cum aucto ſtipendio uſque ad Florenos 72., enucleaſſe deprehenditur.

Intermedio tempore unus ex Decemviris Libertatis anno 1495. conſtitutus, Politicis Rationibus ita exigentibus, auctor fuit, ut adverſus Piſanam Rempublicam omnis interim hoſtilis ultio ſuſpenderetur (*b*).

Contra vero Patriæ Libertatis longe magis, quam Suorum, aſſertor ac vindex, penes *Carolum VIII.* Galliarum Regem vehementer obſtitit, ne priſtino ſtatu potiretur *Petrus Medices*, exul jam abactus (*c*). Præſetulit etiam hunc erga Patriam amorem, anno 1498. Juſtitiæ Vexillifer

(a) *Catal. J. C. Profeſſ. in Tabul. Reform. ſub d. an.* 1493. *& ſeq.*

(b) *Scip. Ammir. Hiſtor. Florentin. Lib.* 26.

(c) *Id. ibid.*

renunciatus (*a*), dum adversus *Fr. Hieronymum Savonarolam*, qui Romano Pontifici refractarius, publicas (*b*) privatasque discordias alere censebatur, Generalem ipsius Ordinis, Pontificiumque Quæsitorem *Remolinium* evocandum censuit: exitus autem funestissimus non semel alibi commemoratus.

Eo spectavit Publica Legatio, quam ad Galliarum Regem *Franciscum I.*, elabente anno 1515., prudenter obivit (*c*), & ad scopum hunc illustrem collineasse evidentissimum est omne ab eo gestum, & pene dixerim cogitatum, quoad usque vitam cum morte commutavit.

Filium Avito nomine *Nicolaum* appellatum, superstitem reliquisse certiores nos reddit subjecta hæc Inscriptio, quæ Florentiæ in subterraneo *Basilicæ D. Laurentii* legitur = *D. O. M. Laurentius Attilii Nicolæ Domn. Verii Medicis hoc Sepulcrum Beatrici Pilli Conjugi Carissimæ Suisque posuit MDLVII.*

Por-

(a) *Jacob. Nard. Lib.* 2. *ad An.* 1498. *& Ammirat. Lib.* 27.

(b) *De his etiam obiter Claris. Coll. Anton. Cocchius in Lib. de Pisan. Bal. & ex eo accurat. Auct. Histor. Italic. vol.* 2.

(c) *Præcit. Ammirat. lib.* 29.

Porro quæ de *Tanao Medice* inter Collegas, & Consiliarios suos a *Clar. Nicolao de Martellis* adlecto, cum Academiæ Florentinæ Consul præfuit benemerentissimus, in ipsius *Martelli* Elogio leguntur (*a*), ad Juniorem aliquem *Tanaum* spectant; & forsan ad hunc pertinet aliud Epitaphium ibidem a Filiis appositum, quod tale est.

Cineres & Ossa Tanai Medicei Nicolai Filii Viri probatissimi Moribus insignis hic sunt sita. Filii Pietatis ergo non sine lacrimis erexerunt An. Dom. MDLXXXIV.

§. XXVIII.

MAtthæus Nicolinius, *Angelo U. J. C. ac Vexillifero Patre, ac Lisa Petri de Paetiis Genitrice*, Anno Sal. 1473. in lucem editus (*b*), magis Honestæ exercitationis gratia, quam exigui honorarii Floren. 25. spe illectus, ineunte Anno 1494. turbulentissima plane tempestate, non renuit in Pisana Universitate, Civilibus Institutionibus explicandis operam

(a) *Clar. Canon. Salvin. in Fast. Consul. Acad. Florent. pag.* 38.

(b) *Volum. Flor. Arch. B.*122. *sub An.* 1471. *pag.* 16. *& Memor. Art. Mercat. sub d.* 10. *Septembris An.* 1473.

ram dare (*a*); mox in Patriam reversus non destitit, quà, & quidem summo cum plausu, Consulendo (*b*); quà Legati partes obeundo; quà supremo Reipublicæ Florentinæ Clavo sedendo; qua Reformatoris personam exercendo, Publico Bono, summa prudentia, integritate, fide, Doctrina inservire (*c*). Ad Legationes quod attinet, lubet hic ad litteram referre Epistolam, qua Florentina Respublica, anno 1509. cum ad Sum. Pontif. *Julium* II. proficisceretur, intimo ejus a Secretis commendatum eum voluit (*d*) *Reverendissime in Christo, & Domine Colendissime = Mandavimus Domino Matheo de Nicolinis egregio Juris Consulto, & Nobilissimo Civi Nostro: quem nuper missi-*

(a) *Lib. in Tabular. Reform. Florent. cui Tit.* Ricordi *sub d. an.* 1494.

(b) *Parisi. P. I. Cons.* 91. *Jos. Rustic. ad L. Cum Avus Dig. de Condit. & Demonstr. Lib.* 1. *cap.* 13. *Soccin. T.* 1. *Cons.* 18.

(c) *Jacob. Nard. lib.* 9. *Scip. Ammir. Hist. Flor. an.* 1518. 22. 30. 32. *Jov. lib.* 38. *Nerl. lib.* 10. *Min. de Nob. Flor. S. Flor. illustr. in L.* +

(d) *Ex. inter Privat. Sched. hujus Nobilis. Fam.*

misimus Oratorem Nostrum, ad Summum Pontificem, ut Reverendissime D.V. quædam etiam nostro nomine exponat: in quibus precamur fidem illi habere certissimam R. D. V., cui & Nos & Civitatem hanc Nostram humillime commendamus: & quæ felicissime valeat = Ex Palatio Nostro Die 8. Augusti 1509. = Priores Libertatis, & Vexillifer Justitiæ Populi Florentini.

His certe aliisque pluribus nominibus, inter insignes Etruriæ Nostræ Proceres numerandus venit; sed præcipue hisce duobus.

Primo, quod in gravi ancipitique Deliberatione, utrum *Alexandro Duci*, nefarie jam interempto, subrogandus in Principatu foret Adolescens adhuc *Cosmus*, affirmantium parti constanter adhæsit: prout revera ex Ipsius voto, necnon *Roberti Acciajoli*, *Francisci Victorii*, *ac Guicciardinii*, aliorumque Popularis Gubernii, utpote nimis instabilis, arbitrariique contemptorum, feliciter obtigit: dignus propterea, ob hæc aliaque merita, ut eidem *Cosmo*, Principatu jam potito, a Supremis Consiliis Senator assideret (*a*).

Secundo, quod ulteriori Reipublicæ Bono

(a) *Paul. Jov. & Scip. Ammirat. præd. loc.*

Bono prospexerit in splendidissima Educatione *Angeli*, *ex Geneva Morellia*, Filii (*a*). Nemo siquidem, nisi in historia plane hospes, ignorat, quod *Angelus* Paternæ Virtutis æmulator primum expertissimi Causarum patroni, deinde gravissimi Senatoris partes obierit; & quod egregie apud *Paulum III. Pontif. Maxim. & Carolum V.* Imperatorem, Legati Munere, etiam ipse, functus fuerit. Nemo quam utiliter Senensem Provinciam administraverit; & postquam ei Ecclesiasticæ Vitæ mancipari placuit qualiter *Pisanam Ecclesiam* rexerit; & denique in *Cardinalium Collegium* cooptatus, quale decus ipsimet Romanæ Purpuræ addiderit (*b*).

Merito itaque *Matthæo* tam eximio Professori nostro, tam conspicuo Senatori, provido fortunatoque Parenti, postquam Anno 1541., quo e vivis excessit, communibus lacrymis parentatum

tatum

(a) *Lib. Offic. Gabell. Florent.* D.150. 166. *an.* 1499.

(b) *Bened. Varch. Lib.* 16. *Scip. Ammir. lib.* 22. *Abb. Ughel. in Ser. Pisan. Archiep.* = *Egnat. Ursul. in Ser. Pont. &c. P. I.* = *Ciaccon. &c. in Pio IV. &c.*

tatum fuit; a gratissima Posterorum memoria, in Magnifico Familiæ Sacello,, in Florentina Ecclesia *Minorum Conventualium* tale Monumentum fuit appositum = *Matthæo Nicolinio Angeli F. Othonis N. Senatori & J.C. præstantissimo, Legationibus ad Julium II. & Hadrianum VI. Pont. Max. cum laude functis, Cosmi Magni Hetruriæ Ducis Consiliario, Joannes Nepos Avo præstantissimo Pos. Obiit A. S. MDXXXXI. ætat. suæ LXIX.*

Jamque Historica hac Narratione ad Annum 1494., quem Universæ Italiæ luctuosissimum appellat gravissimus nitidissimusque Historiographus *Guicciardinius*, sensim delati sumus. Quod ad nos adtinet, occasione Neapolitanæ Expeditionis, degente Pisis *Carolo VIII. Galliarum Rege*, per Pisanum Populum, ægre Florentinorum jugum ferentem,. ad Libertatem adspiratum proclamatumque est; ac Rege ipso temere & inconsulto Popularibus precibus annuente, jam Insignia Populi, Florentini e Publicis Locis dejecta; Pecunia, cum nomine, forma, Insignibusque Regiis cusa; & aliquatenus pristina Gubernii forma recuperata. Ob inexcogitatam hanc ærumnam, quidnam Consilii captum, erit proximæ Narrationis argumentum.

Inte-

Interim exclamare liceat: Hæc eſt, o *Middendorpi*, Univerſitas, quæ ante proſtremam Renovationem a *Coſmo Primo* factam, 150. annos deſerta jacuit (*a*)!

(a) *Jacob. Middendorp. Academ. Celeb. Lib. IV. pag. 77. in verb.* Piſana.